1

Ascanij [illegible]

Fr:60. 3.V.D.

Philosophia pura

De Arte Chimica.

1A-27.[illegible]

Digitized by Google

PHILOSOPHIA PURA,

QVA NON SOLVM VERA MATERIA,

VERVSQVE PROCESSVS LAPIDIS PHILOSOPHICI MVLTÒ apertiùs, quàm hactenùs ab ullo Philoſophorum, proponitur; ſed etiam viva totius Myſterij REVELATIO filijs ſapientiæ offertur: quod typis nunquam viſum, quamdiu ſtetit Mundus.

ACCESSIT SVB CALCEM JVDICIVM de Fratribus Roſeæ Crucis.

HÆC OMNIA HAC SECVNDA EDItione diligentisſimè recognita, ac plurimis in locis novis Reſponſionibus locupletata, ab autore ipſo

MICHAELE POTIER, CIVE DORTmontano, in VVeſtphalia.

INVIDET NEMINI CHARITAS.

FRANCOFVRTI,

Typis PAVLI JACOBI, Impenſis Luc

Annô M. DC. XIX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

12-27-A-16

CHREIA

Paulus ad Corinth. 1. cap. 13.

Et ſi habuero prophetiam, & noverim Myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita, ut montes transferam, charitatem autem non habuero, NIHIL SVM.

EPISTOLA DEDICATORIA.

AD VENERANDAM, ATQUE A DEO ILLUMINATAM FRATERNItatem Roſeæ Crucis.

VENERANDI, atque à Deo illuminati viri, fratres chariſſimi, ante aliquot abhinc menſes contigit mihi videre libellum quendam ad me ab amico transmiſſum, Famam videlicet & Confeſſionem veſtram, ut eô perlectô judicium

Google

meum de eodem ei explicarem: Amico morem gerens vidi inter legendum mihi ejuſmodi ſapientiæ theſauros offerri, quos potiùs admirari, quam æſtimare fas eſt. Oblatio animum meum maiori lætitiâ perfudit, quàm calamus exprimere valet. Ego quidem hactenùs mihi perſuaſi, callentē χρυσοποιίαν conſcendisſe ad ſupremum apicem philoſophiæ, verùm jam fateri cogor, illius oculos tanquam nyctocoracis ad diviniſſimum veſtræ ſapientiæ jubar planè caligare. Lapidem philoſophicum ſolem ſcientiarum fuiſſe putavi, aſteriſcum vix eſſe jam demùm agnoſco. Nunc tandem, inquam, deprehendo, lapidem philoſophicum ad comparationem veſtræ

ſapientiæ non eſſe niſi parergon: quia ſapientia, ut inquit Salomon, aurô melior eſt, & prudentia precioſior argentô.

VOBIS itaque, quùm tanta myſteria, tantumq; lumen rerum occultarum Dei beneficiö contigerint, meritò gratiæ Domino Deo noſtro reddendæ, vobiſque non ſolùm, ſed & mihi peramicæ oblationis nomine congratulandum: Magnum enim eſt, & plusquàm magnum, quòd tantam myſteriorum raritatem tantâ pietate, tantâque animorum benevolentiâ & concordiâ mihi communicare paratis. QUARE, quò oblatum majus, eò ſtrictiùs me vobis obligatum exiſtimate. Arctisſimô quin etiam & amicitiæ fœ-

dere vos, fratres, mihi devinctos teneri ſpero, ſi RESPONSIONES haſce (alioquin ad amicum exaratas) vna cum judicio meo de Fama veſtra & Confeſſione typis mandarem, atque vobis, neſcio quô fatô, dedicarem: dedicarem inquam, non quidem, ut ex me quicquam diſceretis, qui alias omni ſapientiâ, totâq; arcanorum MONARCHIA condecorati eſtis, ſed ut ſaltem exinde acerrimi rerum æſtimatores videretis, me aliis philoſophis in huius artis ſcientia parem eſſe, illorumque notitiam appetere, interim verò διὰ τὸ μὴ χρήματα ἀναγκαῖα παρεσθλώνῃ κεκωλῦσθαι, quò minus in deſideratum portum appellere liceat.

Quùm ergò certò mihi conſtet,

tet, vos regium illud diadema, ad
uod tot homines immenſis ſum-
tibus atque laboribus aſpirâ-
unt, impetraſſe, illudque in ve-
tro gazophylacio certisſimè ha-
ere, nec etiam apparentius ex-
mplum fraternæ charitatis esſe
osſit; quàm ſalutem proximi
rocurare, ſtudia atque honeſta
jus deſideria promovere, cum-
ue in omnibus juvare; imò ve-
ra etiam Fama & Confesſio ea
mnia omnibus ſincerè affectis
ngenuè polliceantur, indubiâ
ente ratum habeo, me à veſtræ
eneuolentiæ fruitione non ex-
luſum iri, aut fore alienum.

Hâc itaque fiduciâ firmâ fre-
us, ad vos, ô fratres, me totum cō-
erto, veſtram benevolentiā ultrò

promiſſam implorans, ſimulq́; omni animi devotione vos orans (ſi me tàm ſacris myſteriis dignum ſatis cenſetis) ut me in veſtrum collegium adoptare dignemini: non ſolùm ad præſtandum perpetuæ fidelitatis ac taciturnitatis juramentum, verùm etiam ad parendum & obediendum inſtar filij PRÆCEPTIS VESTRIS PIIS, promptus ſum atque paratus. Sitim hanc meam, ô fratres, facilè explere poteſtis, nempe ſi celeri gradu quempiam è veſtro piiſſimo collegio huc ad me depntaveritis, veſtroque fratri opem tuleritis.

Quòd ſcribitis mortalium neminem arcana veſtra facilè è manibus veſtris habiturum, in hoc

ſenti-

ntitis optimè, & faxit Deus re-
è perpetuò judicare poſſitis, cui
creta veſtra commiſeritis: Mun-
us enim fallax eſt, & hypocriſi
enus, & ſæpè ſerpens prorepit u-
minimè creditur. Multi aliud in
ctore gerunt, aliud in ore. Fi-
ndum itaque, ſed cui, viden-
im, juxta illud:

Ut nulli nocuiſſe velis, imitare columbam,
Serpentem, ut poſſit nemo nocere tibi.

γὼ δὴ ἔχω τὸν Θεὸν καρδιογνώςlω τὸν μάρτυρα, καὶ τlὼ
εἰδησιν, quòd de me vobis polliceri
oteritis omnem fidem & ſinceri-
tem, nec renuam Conditiones,
ias mihi obtuleritis PIAS: ſaltē
iòd me profiteri non valeā, qua-
n fortaſſe requiritis: Peccator
dignus ſum, quem pro veſtra
pientia non rejicietis: quippe

NEMO in hoc mundo perfectus dici meretur: Quis, inquit Salomon, poteſt dicere : mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato ? Ad virtutis tamen gradum ab ineunte ætate anhelavi, & adhuc etiam atque etiam anhelo, & pietati ſtudeo quantum pro viribus à Deo mihi conceſsis poſſum; nam ſi Arcanum noſtrum ſolificum in virtute actiua eſt auctivum, quùm tamen habeat nec ſenſum vitalem, nec rationalem, cur non ego, quùm ſim ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatus, & ortus ad Deum noſcendum, contemplandum & mirandū, in melius reſurgere, rectificari, elevariq; cupiam? Atque hoc præcipuum caput eſt, & ſubjectum meum, ut ſapientiæ

veſtræ

træ ſacræ ſanioris ſpeculativæ
:itamento tradere me cupiam.
ὄγκω μὲν ἔχω διοπβῆ, ἀλλὰ βλέπομαι αὐδὸ τῶν παιδίων,
vobiſcū liberè cōferre, & certi a-
quid cōcludere de ijs posſim, quę
l virtutis augmentum, pręcipuè
erò ad honorem Dei, pertinent.

Animus quidem non erat vo-
bis ampliùs importunus esſe, at
quia nullum à vobis recepi reſpō-
ſum, dubitavi, nū liber ad manus
veſtras esſet perlatus? Quaobrem
philoſophicum hoc meū opuſcu-
lum ſub incudē revocare volui, &,
victus conſtantiâ erga vos, illud,
novis reſponſionib. in hoc philo-
ſophię regno facilè primas obti-
nentibus auctum, iterum ſub no-
mine & tutela veſtra ante ocu-
los totius mundi mittere, ſperans
vos

vos illud gratô ac fraternô vultu ſuſpecturos.

Suaſerunt equidem multi Tractatus divulgati, ut veſtrum collegium non appeterem, nec ullas pro vobis ſuſciperem defenſiones: quia verò adverſantium monitiones ſaltem internam invidentiam redolere video, rationes autem eorum validas, veras & conſtantes, non invenio, non me ulla Zoilorum invidia terrebit, quò minùs veritatem ſcribere auſim: nec calumniæ, quæ vobis obiectantur, tantum mihi metum incutient, ut vos amare deſinam, neque me etiam avocabit, quod vel coſmopolitas agitis, vel in eremo, aut alio quodam abſtracto loco habitatis, hoc n. de ſubiecto nihil derogat;

Omnis

mnis terra, pijs, patria eſt: quia Chriſtus Iheſus,

Conſervat præſens, ſemper ubiq; ſuos.

Plura dicenda forent, ſed quia ic nihil pertinent, ſaltem hunc actatum vobis eô animô ac fi-e, quô ante biennium conſecro dedico, atque ob id etiam nil mplius addam, neq; diminuam, uàm vt in priori petitione ſub-iſtam.

Adeste igitur, qui adesse promiſiſtis: ſic namque maximam à Deo inibitis gratiam, qui vobis hoc talentum non ad inhumandum, ſed ad æterni ſui nominis gloriam, amicis communicandum concredidit. Honeſtis promiſſis Deus & homines favent: Honeſtiùs autem nihil, quàm fra-

tri

tri ſuo opem ferre. Deus novit, quòd opibus affluere minimè affectem: huic enim ſtudio non inhæſi, ut multas mihi inde opes ac divitias compararem & ſuperbirem: Abſit. Ille inſipientum eſt finis: ſcopus meus eſt contemplari mirabilia Dei, àtque Creatorem meum exinde tantò ardentiùs colere, ei gratias agere, proximoque meo egeno prodeſſe.

FESTINATE igitur venire in nomine Patris, qui fecit cœlum & terram. VENITE cum feſtinatione in nomine Filij, Redemptoris noſtri JHESU CHRISTI. VENITE ſine mora in nomine *Spiritus Sancti.* Sinite me ſentire ſcintillam amoris, quæ undique in veſtra Fama & Confesſione ubertim emicat. Da-

te,

te, ô viri fratres, promisſis veſtris vigorem. Quod, ut ſpero vos facturos, ità rogandi finem faciam; ne videar veſtræ benevolētię diſfidere Non quidem habeo, quod retribuam, niſi precationem meam pro vobis indefesſam, ac præterea candidum pectus, in cujus erga vos ut veri ita ſinceri ſymbolum, perpetui amoris declarationem, & venerationis teſtificationem hoc qualecũq; ſcriptũ vobis dedico, libo, voveo. Mihi forſan ſuccenſebũt multi, ꝙ hoc Arcanũ lapidis philoſophici tã apertè ſcripſerim, nũ verò id juſtè fiat; *Deum appello arbitrum* qui me jubet proximũ diligere ſicut meipsũ. Scripſi quidē dilucidiùs, quã unquam ab ullo philoſopho hactenus factum

eſſe ſciam; ſed me ad id impulit chriſtiana dilectio; atque in ultima hac mundi periodo bene de filiis artis merendi cupido. Interim verò non timeo; (ut alij philoſophi timuerunt) ut quis hanc artem tàm facilè concipere poſſit: propter abditas enim noſtras inter operandum ſubtilitates magnum eſt arcanum, & arcanum certè manebit omnibus illis, quibus DEUS EX DIVINA SUA PRÆSCIENTIA hoc ſcire recuſat: Nam ille ſolus, qui hominum corda & animos novit MEDULLITUS, hanc artem, cui vult, largitur & ſubtrahit.

Quod huius philoſophiæ irriſores attinet, inſtitutum hoc meum, ut volent, æſtiment, ijs tantùm

tùm ſcribo, qui arcana Dei ſuſpiciunt, & venerantur. Hactenus, fratres, mentem meam intellexiſtis. Reſcribite igitur primô quoque tempore; An, & quando aliquem è beatisſimo veſtro collegio ſitis ad me misſuri? Poteſt ad me ſcribi undecunque terrarum per Poſtam Colonienſem. Ne verò literæ veſtræ hic vicatim oberrent, tabellarius tectum meum rectâ ſubire poterit, quod vocatur **Quadbecken Hoff bey S. Catharinen Kloſter.**

Hiſce finem faciens, precor ex cordis mei centro, ut benignisſimus ille luminum Pater, à quo omne donum bonum & perfectum deſcendit cælitùs, ac mirabiliter ſeu ultra noſtrum captum

promiſſam implorans, ſimulq; omni animi devotione vos orans (ſi me tàm ſacris myſteriis dignum ſatis cenſetis) ut me in veſtrum collegium adoptare dignemini: non ſolùm ad præſtandum perpetuæ fidelitatis ac taciturnitatis juramentum, verùm etiam ad parendum & obediendum inſtar filij PRÆCEPTIS VESTRIS PIIS, promptus ſum atque paratus. Sitim hanc meam, ô fratres, facilè explere poteſtis, nempe ſi celeri gradu quempiam è veſtro piiſſimo collegio huc ad me deputaveritis, veſtroque fratri opem tuleritis.

Quòd ſcribitis mortalium neminem arcana veſtra facilè è manibus veſtris habiturum, in hoc

ſentitis optimè, & faxit Deus rectè perpetuò judicare poſſitis, cui ſecreta veſtra commiſeritis: Mundus enim fallax eſt, & hypocriſi plenus, & ſæpè ſerpens prorepit ubi minimè creditur. Multi aliud in pectore gerunt, aliud in ore. Fidendum itaque, ſed cui, videndum, juxta illud:

Ut nulli nocuiſſe velis, imitare columbam,
Serpentem, ut poſſit nemo nocere tibi.

Ἐγὼ δὴ ἔχω τὸν Θεὸν καρδιογνώστην τὸν μάρτυρα, καὶ τὴν συνείδησιν, quòd de me vobis polliceri poteritis omnem fidem & ſinceritatem, nec renuam Conditiones, quas mihi obtuleritis Pias: ſaltē quòd me profiteri non valeā, qualem fortaſſe requiritis: Peccator indignus ſum, quem pro veſtra ſapientia non rejicietis: quippe

nemo in hoc mundo perfectus dici meretur: Quis, inquit Salomon, poteſt dicere : mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato ? Ad virtutis tamen gradum ab ineunte ætate anhelavi, & adhuc etiam atque etiam anhelo, & pietati ſtudeo quantum pro viribus à Deo mihi concesſis posſum; nam ſi Arcanum noſtrum ſolificum in virtute activa eſt auctivum, quùm tamen habeat nec ſenſum vitalem, nec rationalem, cur non ego, quùm ſim ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatus, & ortus ad Deum noſcendum, contemplandum & mirandũ, in melius reſurgere, rectificari, elevariq; cupiam? Atque hoc præcipuum caput eſt, & ſubjectum meum, ut ſapientiæ

veſtræ

veſtræ ſacræ ſanioris ſpeculativæ incitamento tradere me cupiam. ἐμοζύγλω μὲν ἔχω δίστβῆ, ἀλλαβλομαι αὖθι τῶν πραγδίων, ꝗ vobiſcũ liberè cõferre, &certi aliquid cõcludere de ijs posſim, quę ad virtutis augmentum, pręcipuè verò ad honorem Dei, pertinent.

Animus quidem non erat vobis amplius importunus esſe, at quia nullum à vobis recepi reſpõſum, dubitavi, nũ liber ad manus veſtras esſet perlatus? Quãobrem philoſophicum hoc meũ opuſculum ſub incudẽ revocare volui, &, victus conſtantiâ erga vos, illud, novis reſponſionib. in hoc philoſophię regno facilè primas obtinentibus auctum, iterum ſub nomine & tutela veſtra ante oculos totius mundi mittere, ſperans

vos

vos illud gratô ac fraternô vultu ſuſpecturos.

Suaſerunt equidem multi Tractatus divulgati, ut veſtrum collegium non appeterem, nec ullas pro vobis ſuſciperem defenſiones: quia verò adverſantium monitiones ſaltem internam invidentiam redolere video, rationes autem eorum validas, veras & conſtantes, non invenio, non me ulla Zoilorum invidia terrebit, quò minùs veritatem ſcribere auſim: nec calumnię, quę vobis obiectantur, tantum mihi metum incutient, ut vos amare deſinam, neque me etiam avocabit, quod vel coſmopolitas agitis, vel in eremo, aut alio quodam abſtracto loco habitatis, hoc n. de ſubiecto nihil derogat;

Omnis

Omnis terra, pÿs, patria eſt: quia Chriſtus Iheſus,
Conſervat præſens, ſemper ubiq; ſuos.

Plura dicenda forent, ſed quia huc nihil pertinent, ſaltem hunc Tractatum vobis eô animô ac fine, quô ante biennium conſecro & dedico, atque ob id etiam nil amplius addam, neq; diminuam, quàm vt in priori petitione ſubſiſtam.

ADESTE igitur, qui ADESSE promiſiſtis: ſic namque maximam à Deo inibitis gratiam, qui vobis hoc talentum non ad inhumandum, ſed ad æterni ſui nominis gloriam, amicis communicandum concredidit. Honeſtis promiſsis Deus & homines favent: Honeſtiùs autem nihil, quàm fratri

tri ſuo opem ferre. Deus novit, quòd opibus affluere minimè affectem: huic enim ſtudio non inhæſi, ut multas mihi inde opes ac divitias compararem & ſuperbirem: Abſit. Ille inſipientum eſt finis: ſcopus meus eſt contemplari mirabilia Dei, atque Creatorem meum exinde tantò ardentiùs colere, ei gratias agere; proximoque meo egeno prodeſſe.

FESTINATE igitur venire in nomine Patris, qui fecit cœlum & terram. VENITE cum feſtinatione in nomine Filij, Redemptoris noſtri JHESU CHRISTI. VENITE ſine mora in nomine *Spiritus Sancti.* Sinite me ſentire ſcintillam amoris, quæ undique in veſtra Fama & Confesſione ubertim emicat. Da-

te,

te, ô viri fratres, promisſis veſtris vigorem. Quod, ut ſpero vos facturos, ità rogandi finem faciam, ne videar veſtræ benevolẽtię diffidere Non quidem habeo, quod retribuam, niſi precationem meam pro vobis indefeſſam, ac præterea candidum pectus, in cujus erga vos ut veri ita ſinceri ſymbolum, perpetui amoris declarationem, & venerationis teſtificationem hoc qualecũq; ſcriptũ vobis dedico, libo, voveo. Mihi forſan ſuccenſebũt multi, ꝙ hoc Arcanũ lapidis philoſophici tã apertè ſcripſerim, nũ verò id juſtè fiat, *Deum appello arbitrum* qui me jubet proximũ diligere ſicut meipſũ. Scripſi quidẽ dilucidiùs, quã unquam ab ullo philoſopho hactenus factum

eſſe

tùm ſcribo, qui arcana Dei ſuſpiciunt, & venerantur. Hactenus, fratres, mentem meam intellexiſtis. Reſcribite igitur primô quoque tempore, An, & quando aliquem è beatisſimo veſtro collegio ſitis ad me misſuri? Poteſt ad me ſcribi undecunque terrarum per Poſtam Colonienſem. Ne verò literæ veſtræ hic vicatim oberrent, tabellarius tectum meum rectâ ſubire poterit, quod vocatur **Quadbecken Hoff bey S. Catharinen Kloſter.**

Hiſce finem faciens, precor ex cordis mei centro, ut benignisſimus ille luminum Pater, à quo omne donum bonum & perfectum deſcendit cælitùs, ac mirabiliter ſeu ultra noſtrum captum

DISPONITUR, vos, ad nominis ſui laudem quàm diutisſimè ſoſpitet, ac indies magis magisque omni fælicitatis incrementô DECORET. Raptim è civitate imperiali nomine Dortmont, in Weſtphalen. 17. Martij. Anno DeVs sIt VobIs oMnIbVs fortIs proteCtor.

V. Reverent.

Obſervantiſſ.

MICHAEL POTIER,
civis ibidem.

PRÆFA-

PRÆFATIO, AC SIMUL ULTIMA MENTIS DECLARATIO AD LECTOREM.

OMNIBUS VERITATIS AMATORIBUS, AUTOR SALUtem & benedictionem à Deo precatur.

PRAESAGIT *mihi animus non defuturos homines, quorum primus ordo graviter moleſteque feret, quod hanc philoſophiam apertiùs tractârim, quàm hactenùs ullus philoſophorum ante me fecit. Alterum genus hominum ita ſecum*

reputabit, Deus bone! Si hæc philoſophia AUTORI eſt adeò perſpecta atque cognita, uti certè ex toto hoc ipſius Tractatu apparet, & percipitur, quî fit ergò, aut quid impedit, quo minùs ipſe rem ad finem exequatur potiùs, quàm ut aliis reuelet? imprimis quùm ferant vili admodum preciô compleri.

AD primi ordinis homines ſic reſpondeo: Quoniam à philoſophis ſcripta ſunt nimiùm multa, ſilendum putabam, & me ad hos accommodandum, qui frui ſilentiô literarum malunt, quàm in opere pœnitendo bonas horas malè collocare, quùm labor honeſtus nullum præmium ferat, ſed vel contêmptum vel invidiam: Sed nitebantur in adverſum cauſæ validiores: Nempe hominem non ſuis, ſed aliorum natum commodis: Eſſe proprium optimi cuiusque aliquid in com-

commune laborare, ſemenq; mittere, cujus alij percipiant fructum: Alios ædium monumenta ſuis relinquere, alios nobilitatem generis, alios gloriam virtute partam, omnes penè teſtimonium quoddam ſui laboris: Nam illud amoris & obſeruantiæ genus, unde nullus eſt unquam fructus, vanum & omninò damnandum exiſtimant: Nullus enim eſt adeò miſer in humana vita ſtatus, à quo aliquando benevolentiæ ſignum proficiſci non poſſit. Unde etiam præclarè dixit Orator: Non nobis ſolùm nati ſumus, ſed ortus noſtri partem patria vendicat, partem parentes, partem amici. Quinimò quæcunque natura ipſa in terris gignit, ea omnia gignit ſolùm ac unicè ad uſum hominum; etiam homines ipſos hominum causâ generat, vt ipſi inter ſe alij alijs prodeſſe poſſint.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quùm ergo natura ipſa ſit erga nos adeo larga atque benevola in pariendis rebus ad communem omnium utilitatem, NOS *merito eam ductricem & dictatricem ſequi debemus, & communes utilitates in medium afferre, quilibet pro modulo à Deo ſibi dato; Et hoc tanto promptiùs, quia ſacra pagina dicit expreſſe, quod unicuique* D*etur* MANIFESTATIO SPIRITVS AD VTILITATEM. *Vtile autem dicitur omne, quod non modo quærit à proximo damnum avertere, verùm etiam ipſius commodum promovere: Hinc etiam utilia dare in lucem, à nemine mortalium jure reprehendi poteſt: Nam reprehendere ea, quæ reprehenſionem non merentur, inſana eſt, & impia arrogantia. Præter hæc etiam ſi diſcere præclarum eſt, non poteſt eſſe turpe docere.*

Quum itaque in hac philoſophiæ palæſtra bonam partem ætatis tranſegerim, atque identidem viderim philoſophos plerumque tàm obſcurè & larvatè ſcripſiſſe, ut non niſi à philoſopho ſublimato perciperentur, inſuper etiam tot falſorum, ut vocant, Alchymiſtarum libros apud hujúsce divinæ philoſophiæ ſtudioſos quotidiè manibus teri, adeoque publicam adhuc autoritatem obtinere, hanc philoſophiam apertiùs tractare volui, quàm alij philoſophi ante me fecerunt; ut filios ſapientiæ non ſolùm educerem ex errorum labyrintho, & in viam rectam ſiſterem, verùm etiam ſtimulos darem ad hanc ſcientiam tanto diligentius inquirendam; ſpe bonâ ductus, hanc meam intentionem illis non improbatum iri.

Abſit autem, ut tàm ſacram philoſo-

phiam indecentiùs, quàm par erat, ſuis nudaverim myſterijs: Myſterium enim eſt, & per me myſterium manebit, etiam illis, qui putant, ſe in intelligendis philoſophorum libris argutiſſimos eſſe, atque planè lynceos: impoſſibile namque eſt, malæ vitæ & impiæ voluntatis hominem poſſidere theſaurum filiis ſapientiæ reconditum: Hæc enim ſacra ſcientia ſolos viros pios requirit, improbos autem, nempe qui habent propoſitum peccandi, procul reiicit.

PHILOSOPHIS *noſtris, quos ut fratres in Chriſto amo, ſcripſi quidem non ſolùm quantum ad hujus philoſophiæ diſcurſum, perſpicua, verùm etiam artem ipſam aliquoties ex ordine, & plusquam ubertim oſtendi, non autem quod velim eos quicquam docere, & ſic aquam infundere mari, ſed ut inde a-*

gnoſce-

gnoſcerent certiſſimè, me illis in hujusce philoſophiæ SCIENTIA *ſimilem eſſe, ac propterea eorum amicitiam optare.*

Aliis vero ſemper alta ſapientibus nihil dixiſſe videbor, quam ſaltem generalia ipſis aliàs ſine me ſatis nota; unde etiam mea dicta vilipendentes rurſum ad devia flectent: Verùm quid ſimplicitatis vilipendium adferat commodi ijs, qui præ nimia ſapientia nolunt res cognitas & proximè ante pedes iacentes agnoſcere, exitus ſæpè probat.

ALIIS *item altius & occultius ſcripſiſſe, quàm litera ſonat, exiſtimabor, nec quoque id me feciſſe pœnitet: quia non æquum eſt hanc philoſophiam palàm fieri cunctis indifferenter: Satis enim ſcio, quod qui tàm ſacram artem profanaret, esſet fractor ſigilli cæleſtis: quia per id (quùm divitiæ ſint nutri-*

menta libidinum & flagitiorum) daret anſam fortiſſimam ad ſuperbiam, luxum, crapulam, tyrannidem, & omnis generis peccata; unde ſibi neceſſario æternam Dei iram conſciſceret, juxta verbum Chriſti: Væ illi, per quem præbetur ſcandalum: quod ſanè non ſapientis, ſed ſumme dementis esſet. PRUDENTIA *opus est, & nedum in ſecreto ipſo, verum etiam in materia: Nam ſi quis veram à te reſciverit materiam, ei vero res non præſto vel statim ad voluntatem fluxerit, mox prodit, teque loco gratiarum mille contumelijs compenſat, quemque etiam reputabas amicum fore: Contra hujuſmodi autem hominem dicit Salomon:* QUI AMBULAT FRAUDULENTER, REVELAT ARCANA: QUI AUTEM FIDELIS EST, CELAT AMICI *commiſſum. Verùm enimvero ille, qui*

artem

em ita contemnit, viciſſim contemni- ab arte, in eo ſcilicet dum ei, cui alias cera totius myſterij revelatio tandem AMICO CONTIGISSET, poſteà omnis caſio ad eam perveniendi præcluditur, merito: qui enim infidelis fuit in mi- oribus, cur ei crederentur majora?

Verùm utcunque res ſe habeat; ali- nem tamen in errores inducere, mihi emper religio fuit: omnibus nervis con- endi errorum nebulas fugare, ut veri- tas in hac arte, quantum fas fuit, in a- prico conſpiceretur: Et cui id fuerit mole- ſtum, perinde mihi videtur facere, ut ij, qui quùm iter compẽdioſum ad aliquam urbem nondum invenerint, id demùm repertum alijs non ſolùm non demon- ſtrant, ſed monſtrare cupientibus vehe- menter invident, ſummaque eos iniuriâ afficiũt. Hoc autẽ faciat, qui voluerit, & qua-

quouſque libuerit: Ego vero non pendo ex judicijs invidorum, neque virulentorum calumnias curo: nec laboro de ijs, qui quùm ipſi nihil eximij præſtare valent, nec melius quid proferre, non ſolùm hanc artem ſed etiam quicquid in rebus mortalium pulchrum, ingenuumque eſt, deſpicantur, omniaque rident, quæ intelligere aut asſequi ingenio nō posſunt, modo ſciam me ea facere, quæ hominem Chriſtianum decent, nempe proximo inſervire, ejus commodum pro viribus promovere, incommodum vero ab eo declinare: Si enim Deus cœli & terræ fuit promptus ad juvandum eos, qui ipſius ope indigent, quanto magis nos homunciones paratos eſſe decet, ut proximo noſtro inſerviamus, & alacriter, vbi opus eſt, ſuccurramus: Nam abſolutiſſima regula hæc eſt: PROUT VULTIS UT FACIANT

INT VOBIS HOMINES, ET VOS
CITE ILLIS SIMILITER. *Item, dili-
proximum tuum ſicut teipſum. No-
um non eſt, Deo quicquam præſcribe-
ſed quod illi placuit, nobis etiam pla-
debet absque ulla tergiverſatione,
alterius cauſæ prætenſione, licet et-
ſpeciem excuſationis præ ſe ferre vi-
tur: Non enim eſt calcitrãdum con-
ſtimulum, qui eſt Chriſtus, dicens,
cernam ſub modio non ponendam.
Ne itaque quis mala, ſed optima
eque mihi precetur, utpotè qui non ſo-
n de nemine quicquam mali ſim pro-
ritus, ſed etiam omnibus hujusſe phi-
ophiæ inquiſitoribus ex pio animo &
cera charitate omnia bona optem, i-
ac certo animi ſigno oſtendam. Quod
utem fortè quiſpiam ex innata ma-
ia mihi malè precetur, ſciat non modo
talia*

convenit, ſed potiùs eſt illi inimica. lio loco: Ad hanc artem non accertifex avarus in ſumptibus vel exs. Item paulo poſt: Artifex ſit ſuffiter locuples. Idem tacite innuit Dionus Zacharius ſub hiſce verbis: Al die paſchatis laborare cæpi, non ſine tis impedimentis, quorum hic non am mentionem. Hæc illi.

POSSEM ſanè pluribus teſtimoniis odere, quod philoſophum noſtrum teat eſſe divitem, ſed quia de hoc et alibi tractatum extat, brevitati ſtu: Nam ſi modò attendamus etiã philoſophos ipſos, inveniemus, omnes, quot t hanc artẽ fecerunt, fuiſſe divites, ac terea Arnaldum de Villa nova non apparenti cauſa dixiſſe: Hoc Magiium non eſt, niſi pro divitibus. Utinam tale mihi non obſtaret impeentũ, quàm libenter hoc donũ à Deo

tque hæc Syracidis præceptio firmisſi-
ı eſt, & habet totius ſcripturæ conſen-
n: Ad quid enim ſerviret cuipiam in-
ıs theſaurus, ſi eum perpetuo vellet in
:a occluſum tenere; & tandem ſe-
ı contumulari? Id profectò eſſet non
ıdo fatuum; verùm etiam impium:
tuum, quia tali modo ſeipſum decipe-
;, impium, quod nemini benefacere cu-
ret.

Quùm itaque magnum hoc naturæ
yſterium non ſine evidenti & gravi
uſa; neque ex animi aliqua levitate
teri revelare decreverim, ſed id facere
ceſſitate conſtringar, & præcipuè ex
andato Dei jubear, NEMO, qui animi
ingenui, id malè mihi interpretabi-
r: quippe cuivis, quod ſuum eſt, alteri
mmunicare licet, & quo melius, eò
mmunicabilius. Nec etiam boni viri

candor vitio mihi vertet, ſi pro diuturnis meis ſtudijs cupiam recipere aliquod vitæ ſolatium: In omni enim vocatione honeſta æquum eſt, ut, qui laborat, ferat etiam ſuorum laborum præmia. Vult etiam Deus, ut officia officijs, & quidem liberaliter, compenſemus: ne ingrati ſimus cuiquã pro acceptis beneficiis: quinimo, ut benefaciamus etiam ijs, à quibus nullum beneficium vel accepimus vel ſperare poſſumus.

MOLESTUM autem donum non cupio, moderato contentus ſum: Scio etenim æquipollens mihi pro tam incomparabilis myſterij REVELATIONE *reddi nõ poſſe: quippe majus eſt beneficium piè & fideliter in hac philoſophia inſtitui, quàm ut ullis donis compenſari queat.*

Ne autem quis putet, hoc magnum Naturæ myſterium cuivis advenienti,

aut

aut volenti tanquam in foro publico proſtare venale, hunc amice moneo, me Deo votum feciſſe & philoſophis, quod in tota mea vita hoc myſterium nemini velim revelare; quàm ſaltem quibusdam filiis ſapientiæ; qui nempe ita diſpoſiti ſint, ut ex hac ultima mentis meæ declaratione intelligere habeant, quique æquas Conditiones; quas mox ſubjiciam; inire non graventur; quibus ita prævijs; ſi cui filio ſapientiæ placet, me ſine mora ad ſe vocare poterit; ut brevi admodum temporis ſpatio, nempe trium vel quatuor dierum; quicquid hujus philoſophiæ eſt; à me PERDISCAT.

INDIGNI *vero meminerint, non eſſe projiciendum Roſas & Margaritas ante porcos; ne forte pedibus eas tanquam betas labijs eorum inſuetas con-*

culcent. Sunt autem conditiones, quæ ſequuntur:

1. *Vt ante omnia velis pie vivere, Deum timere, nemini nocere, virtutem amare, inque tali pio propoſito pro viribus à Deo tibi conceſſis manere usque ad extremum tuæ vitæ halitum.*

2. *Vt non velis tibi imaginari res ſubtiles, ſed manere in via, quam ſimplex Natura à Deo ſic ordinata, monſtrabit*

3. *Vt omnia quæ dicam, ſcribere velis manu propriâ.*

4. *Vt mea dictata velis non modo amplius non deſcribere, ſed intellecta ſtatim in præſentia mea comburere.*

5. *Vt omnia, quæ tibi revelavero, porro nulli creaturæ in toto hoc terrarum orbe exiſtenti, dicere, ſcribere, aut alio quovis modo revelare velis.*

6. *Vt velis tàm apud quodvis punctum ſingulatim, quàm etiam in fine totius revelationis ingenue fateri, nùm tibi omnia recte, & ad plenam tuam ſufficientiam revelaverim?*

7. *Vt hanc tuam confeſſionem facere velis non ſimulate, nec in mei gratiam, neque odium, ſed in ſolius Dei, ac ſimplicis veritatis honorem.*

8. *Vt ſtatim poſt agnitam revelationem velis mihi dare, quod prius ex libera voluntate promiſiſti.*

9. *Vt mihi recognitionem & reſpective obligationem omnium, quæ inter nos acta & conventa ſunt, ſtatim poſt arcani revelationem ſub tua manu propria, atque ſigillo dare velis, idque in tali firma atque conſtanti forma, quâ unquum fieri poteſt.*

10. *Vt ſtatim ante initium reve-*

lationis velis hoſce Articulos omnes ac ſingulos tuæ propria manus ſubſcriptione, tuóq; ſigillo ſatis, ſufficienterque confirmare.

Hactenus etiam Conditiones vidiſti; nunc tandẽ dicam, quâ methodo, viâ & ratione te ad plenã huius magni myſterij REVELATIONEM SIM PERDUCTURUS.

Si ergo te ita diſpoſitum ſenſeris, quẽadmodum percepiſti, nec etiam graveris modo dictas Conditiones acceptare, EN OFFERO *tibi vivam totius myſterij* REVELATIONEM. REVELATIONEM *inquam, non fanaticam aut ſophiſticam, neque ex falſis concluſionibus è philoſophorum præſcriptis collectam, ſed ex apertisſimo* LUMINE NATURAE, & PHILOSOPHORUM DICTIS; *atque ſic ex horum amborum mutua* CONCORDANTIA,

Et

Et quia philoſophi ipſi tàm omnia DICTA, *quàm omnia* LUMINIS NATURAE *exempla ad reſerandum totum hoc Myſterium hinc inde ſparſim in ſuis libris ſatis affatim poſuerunt, nullùm planè lumen Naturæ, neque ullum etiam dictum ex proprio meo cerebro proferam, ſed omnia è veris philoſophis allegabo, atque ſic ipſo ſole clariùs ad oculum tuum demonſtrabo.*

IPSE *ſemper, & apud quodvis punctum ſingulatim* AGNOSCES LUMEN *Naturæ; & porro ex illo* LUMINE *Naturæ, dicta philoſophorum intelliges quàm apertisſimè; unde per conſequens ultrò fateberis, me tibi nō ſophismata, aut proprias imaginatiões obtruſiſſe, ſed ipſisſimã veritatẽ ab omni fuco & veſte nudã aperuiſſe: De quo nunc plura dicere, non eſt opus:* QUIA INTER REVELANDUM

VERITATIS SIMPLICITAS IPSA LOQUETUR.

Atque pro tàm incomparabilis myſterij REVELATIONE, *ſi forte ſcire deſiderares, quantum in ſpecie mihi dari cupiam? Ad hoc reſpondeo, me non exigere certam ac determinatam aliquam pecuniæ ſummam, (id enim eſſet contra ſtylum philoſophorum, quos non decet de ſua philoſophia facere mercaturam ſicuti rerum venditores) ſed eo contentus ſum, quod ipſe cenſebis eße honeſtum; ac quidem illud munus non erit debitum, ſed libera* DONATIO, *nec prius fiet, quàm* POST *totius myſterij revelationem,* NEMPE *quùm ipſe non in mei gratiam neque odium, ſed, uti dixi, in ſolius* Dei, *ac ſimplicis veritatis honorem ſponte tuâ ac libere confeſſus fueris, te jam omnia ad plenam tuam ſufficientiam intel-*

ligere

ligere, agnoſcere, pro confeſſo & manifeſto acceptare; ac proinde nil quicquam amplius à me requirere.

JAM, O fili SAPIENTIAE, *do tibi conſiderandum, An quid probius, rarius, aut magis inviſum & inauditum in hoc magno philoſophiæ regno tibi offerri poſſit unquam?*

FESTINA *igitur, & oblatis fruere, Dum* TIBI TEMPORA FAVENT, *atque interim in Chriſto Jheſu vale. Dabam è Muſeo meo, Dortmont in Weſtphalia, Menſe Martio, Anno, agnos (e qVàM fiDè tIbI offeratVr VerItas.*

RESPONSIONES,

AD AMICI CUJUSDAM LITERAS

REDDITÆ, ET MOX SUBINDE hôc publicô typô, venerandis Fratribus Roſeæ Crucis devotè dicatæ,

AB

AVTORE IPSO

MICHAELE POTIER.

INITIUM noſtrũ ſit in nomine ſacroſãctæ Trinitatis. Amẽ. Clariſſime, ſpectatiſſime Domine Doctor, quòd ad me adductus humanitate ſcripſeris etiam occupatiſſimus, gratiſſimum fuit, imprimis quùm viderẽ nõ minùs animi tui cãdorẽ, quàm tuam in me voluntatẽ pro-

propenſam. Jampridem ad te reſcribere, animus cupiit, ſed occaſio erat nulla. Quùm ergò ex inſperato inciderem in hunc tabellarium, qui ſe triduò hinc ad veſtras partes iturum ajebat, facere haud debui, nec potui, quin mox hæc ad te feſtinarem.

DICAM igitur ſimpliciter, PIE, PLANE atque PLENE quod res eſt, ea tamen lege atque conditione, ne, quæ dicam, ſecus intelligas, quàm à merè candido, ſincero, ac fraterno animo.

PRIMÙM *itaque ſcribis, te quidem lapidis philoſophici ſcientiam abhinc aliquot annis ſectatum fuiſſe, & adhuc ſingulari quodam amore ſectari, interim tamen aliquando ſubdubitare, An ars tranſmutationis metallorum ſit in rerum natura vera, aut fortè aliquod otioſorum hominum figmentum. Subdis item, tibi id non parùm dubitationis afferre, quòd hoc noſtrum ſeculum tot ſophiſticis libris ſit plenum, item quòd vulgus hanc artẽ tot proſequatur cõvitijs.*

Reſpondeo: Hunc tibi ſcrupulum facilè ex animo tollet pius Bernardus Comes Treviſanus, quando in ſua præfatione

one Germanica ſic loquitur: Ne putes etiam, quia hic vel ille, quinimò etiam ſupremæ conditionis homines nihil invenerunt, artem propterea eſſe falſam & impoſſibilem, imò quòd maximè, & ſine ulla dubitatione ſit veriſſima, non modò hiſce oculis vidi, ſed & proprijs manibus aliquoties feci. Dionyſius Zacharius teſtatur idipſum, quùm inquit: Singulis vtique diebus conſpiciebam apparitiones trium colorum, quos philoſophi ſcribunt apparere debere ante perfectionem operis divini: Eos omnes gratia Dei vidi ſucceſſivos unum poſt alium, ac deinceps proprio die paſchatis alterius anni, vidi perfectionem, experientia facta ſuper argentum vivum calefactum in tigillo, & converſum in purum aurum præ meis oculis, breviori ſpatio, quam unius horæ, pauco admodùm hoc pulvere diuino. Michael Sedinvogius ſummus in hac arte philoſophus idem affirmat, per hæc verba: De veritate artis, ſi quis dubitat, legat copioſa philoſophorum antiquiſſimorum rati-

Virgil. 4. Georg. *Puluerιs exiguι jactu compreſſa quieſcunt.*

ratione & experientia verificata ſcripta; quib.,ut fide dignis,in ſua arte fides non deroganda eſt: Qui verò illis fidem non adhibet, tunc cōtra principia negantē, non eſſe diſputādum novimus: ſurdi n. & muti loqui non posſunt. Dixi artē eſſe verā. Idē in pręfatione: Nō ſunt ſōnia, ut ignarum vulgus loquitur, nec inania otioſorū hominum commenta, ut ſtulti & inſipientes, qui artem rident, putant: Veritas eſt ipſisſima philoſophica. Item paulò pòſt ità ait: Viderunt illam ſine veſte DIANAM; hiſce elapſis annis (ſciens loquor) multi & ſupremæ & infimæ ſortis homines. Idem in Epilogo ſic ait: Porrò in hiſce duodecim Tractatibus tot rationes naturales in medium attuli, ut eò faciliùs cupiens, & Deum timens lector intelligere posſit ea omnia, quæ oculis meis, Deō benedicēte, vidi, manibus feci propriis ſine ulla ſophiſticationis fraude. Quod igitur patere poteſt per realem demonſtrationem, ulteriori probatione non indiget. Hactenus illi.

POSSEM & multorū aliorū gravisſimorum virorū teſtimonijs & autoritate cō-

firmare, veram eſſe artem, niſi de his editus eſſet liber, cui titulus eſt: De veritate & antiquitate artis chymicæ & pulveris, autore Roberto Vallenſe; is editus Pariſijs apud Fredericum Morellum 1561. Quapropter ſi voles pluribus autoritatibus probari tibi veritatem artis, te ad eiuſdem libelli lectionem relego.

Abſurdiſſimũ itaq; foret ſuſpicari, antiquos illos venerandæ autoritatis philoſophos, in hac præſertim rerum naturaliũ diatribe aliquid falſitatis memoriæ cõmendaſſe, qui ſummã operã veritati inquirẽdę ſemper accõmodarunt. Quis ergò niſi vel literatus irriſor, vel bardus quidã, aut vitioſus clamat alatas poti' in aere balænas eſſe, quã unum metallũ in aliud trãſmutari poſſe? Iudicat hoc gen' hominũ de hac arte ut cęcus de pictura, aut ſurd' de muſica. Imò ꝙ ars trãſmutatiõis metallorũ ſit vera, demõſtrabo à ſimilitudine ferri in cuprum, hoc modo: Solvatur vitriolum in aquã ab aqua vulgi, in hanc aquam ferri ramenta projiciantur, ferveat aqua uſque ad conſumptionẽ tertiæ partis illius, ſub dio relinquatur

quatur, ſubſidebit in imo vaſis ferrum & vitriolum. Effundatur aqua clara, immittatur alia. Hoc repetatur ſæpius, dum tota vitrioli ſubſtantia ſoluta in aqua, nec non impuritas ferri effuſa ſit, conſpicies in fundo pulverem rubrum, qui in folium liquatus, & in canaliculam projectus, in cuprum purisſimum concreſcet. Vel breviùs ſic: Limaturæ ferri coquantur in aqua vitrioli diutisſimè, deinde liquantur in corpus.

Hoc experimentum ferè nullis aut paucis ſumptibus & facillimè experiri poteris, ut artem metamorphoſeōs metallorum eſſe veram judices. Sunt & alia particularia, quibus probari poteſt, artem transmutationis metallorum eſſe veram, nempe argenti vivi ex ſtanno in purum argentum, & argenti in aurum mutatio, verùm quia ea quidem magno cum labore, pauco vero fructu, & emolumento fiunt, omittenda duxi.

Reſtat illud argumentum, quòd hoc noſtrum ſeculum, ſophiſtis ſit plenum.

Reſpondeo: Tua quidem ſollicitudo eſt lau-

eſt laudanda, ſed tamen rogandus es, ut cogites artificum vitia nequaquam arti imputanda eſſe: quoniam aliud eſt ars, aliud artifex. Qui faciunt aurum ſophiſticum, illudque pro vero vendunt, illos ſua maneat pœna, & ab illis, quos nulla culpa contingit, removeatur: Nos hic de vera loquimur arte, quæ falſitatis nomine taxari non poteſt.

Si qui etiam hanc artem inquirentes ad inopiam rediguntur, non artis falſitas, ſed turpis illorum ignoratio cauſa eſt inopiæ. Nec tamen propterea ars aut falſitatis aut impoſſibilitatis coarguenda eſt. In natura ſua ars vera eſt, vera etiam natura, ſed rarò verus artifex. Quare ſapientem non decet artes ipſas, ſed artium abuſus damnare: Nam ſi artes propter artificum errores, aut abuſum damnandæ eſſent, ecquænam hodie probaretur? An philoſophia, in qua tot ſunt ſophiſtæ? An juriſprudentia, in qua tot ſunt rabulæ,

& falſarij? An Medicina, in qua tot ſunt venefici? An Theologia, in qua tot ſunt hæretici? Quid magis contrarium, quàm Phyſicorum, Medicorum, Juręconſultorum, & Theologorum in ſcholis pugnantes opiniones in pleriſque, de quibus eſt diſputatio? Tollatur ergò abuſus, & maneat ſubſtantia: Judicium & delectus adhibeatur. Separentur paleæ à granis in area: mali piſces à bonis in ſagina. Quomodo autem in poſterum ſophiſtas à veris philoſophis rectè ſeparare poſſis, monſtrabitur in hujuſce Tractatus progreſſu: Interim verò, qui hujus divinæ ſcientiæ veritatem ſuis impudentiſſimis convitijs non veretur inceſſere; huic ſincerioris philoſophiæ OSORI & contemptori oppono illud Appellis:

Ne ſutor ultra crepidam.

Dic mihi per Deum immortalem, quid eſt iniquius, quàm ut oderint homines, quod ignorant? Et jam, ſi res mereatur odium; quid demùm eſt futilius?

tilius? quid abjectius? quævè major eſt deliratio ac vecordia, quàm eam damnare ſcientiam, in qua prorſus nil olfeceris? qui nec Naturam, nec Naturæ majeſtatem, nec proprietatem, nec occultas metallorum operationes unquam didiceris? qui nunquam vel minimi metalli philoſophicam præparationem manu propria tentaveris, nec videris? imò tibi quidem, Mome, eſt impoſſibile: quia ignoras, nec vidiſti. At his qui ſciunt & cognoſcunt Lumen Naturæ, poſſibile & facile. Tu quidem Mome, qui res tantum ſuperficialiter, aut ex manifeſto vides, non putas aliud in rerum Natura fore, præter id, quod tibi ſub ſenſus cadit, illis verò qui cognoverunt Naturam, hæc omnia ſunt familiariſſima. Sed cur tempus perdo circa huius artis oſores, quùm ſatis in proverbio ſit, SCIENTIAM NON HABERE INIMICUM, NISI IGNORANTEM. Pergamus:

Dicis, Vnicam tantùm rem eſſe, quâ totum negotium abſolvitur.

Reſpondeo: Multi profunda ſanè ignorantia excæcati putant, lapidem philoſophicum poſſe ex una ſola re confici: quod quidem verum eſſe concedo, ſed ſuo tempore & loco: Nam, quòd talis res, quæ nempe abſque debita naturali præparatione ſtatim exiſtat ſufficiens ad abſolvendum totum opus, in rerum natura non reperiatur, ſed adhuc inviſibiliter abſcondita ſit in centro cordis metallorum, aſtipulabitur mihi totus philoſophorum chorus. Annon paſſim legis, philoſophos ferè nil aliud dicere, quàm de ritè præparando Mercurio ſuo? Nonne item de materiæ dualitate à principio operis uſque ad medium & finem, ut tandem triunitas, nempe ſpiritu, anima & corpore reſultet?

Quamvis ergò materiam principialem, initialem, ſeu præjacentem à Natura creatam accipiant, tamen abſque legitima præparatione ab opere eſt remotisſima; ac proinde materia.

ria philoſophorum non eſt: Poſt præparationem autem, nomine materiæ philoſophorum inſignitur, continens in ſe plenam potentiam & aptitudinem ad totius operis complementum.

Quandiu autem materia illa, ut rem denuò repetam, manet in ſua forma ſubſtantiali, qua nempe ſimpliciter conſtat & perfecta eſt, tandiu imperfecta metalla perficere nequit: quia non habet plus perfectionis, quàm pro ſe-ipſo indiget. Verùm, ſi per artem ad ſui plusquamperfectionem ſeu virtutis multiplicationem adducatur, eatenùs tingit in infinitum: tùm demùm vires ſuas aliis metallis, ut transmutentur, facilè impertire poteſt: quia tunc ex ſimplici via, in qua priùs ſteterat, exceſſit, & omninò ſuperfluam, exuberantem, ſeu ſuperabundantem perfectionem acquiſivit: Lapis enim ſeu tinctura philoſophorum, ut Michael Sedinvogius rectè definit, NIL aliud

rem, quam philoſophi multis nominibus efferunt, nempe Materiam primam, auri ſemen, Mercurium philoſophorum, ſuperbum, animatum, ablutum, purgatum, aquam fixam, permanentem, tingentem, humidum radicale metallicum, ſulphur Naturæ, album, incombuſtibile, Phœbum volantem, filium ſolis, lac virginis, mulierem albam maſculum rubeum in vtero gerentem, parturientem, ſudorem, humorem, florem, medullam, ſeu cor auri, ſpiritum penetrantem, animam tingentem, cœlum philoſophicum &c. illud ſal centrale tamen ſine auro multiplicare, impoſſibile nobis foret: Non enim in regno animali humano, & ſic nec in regno noſtro minerali metallico, creatur ex uno, unum: quia hoc ſolius Dei proprium eſt.

Sufficiat ergò nos poſſe ex duob. creare unũ nobis utile. Et ſi de materiæ dualitate nil aliud extaret, quã quod philoſophi Mercuriũ ſuũ appellaſſent MERCURIUM DUPLATUM, HERMAPHRODITŨ,

biuinum, vel barbarô nomine REBIS; tamen inde ſubtiliter intelligenti plusquàm ſatis innoteſceret; ex quotnam rebus lapis ſit componendus? Verùm philoſophi hanc ipſam materiæ dualitatem non modo infinitis propemodùm legibus confirmant, ſed etiam expreſſo lumine Naturæ comprobant, quotiescunque ſic ajunt, aut ſimile: Natura ex uno ſolo homine non generat hominem, ſed ex debita commixtione duorum; quia Diviſio ſexus nil creat vel producit, ſed debita illius conjunctio profert novam formam.

Hinc ergò ex amborum, viri ſcilicet ac mulieris coitu, ſemina, quæ anteà duo erant, fiunt unum, ſeu res una, quæ poſteà ob eorum homogeneitatem ſeu connaturalitatem rurſus ab invicem ſeparari non poſſunt: quia omnis mixtio per minima, quæ propriè dicitur UNIO, fit ratione identitatis, vel ſimilitudinis. Et hoc ſemen, ſeu materia prima hominis nil aliud eſt,

quàm

quàm ſemen DUPLATUM, quod propterea etiam appellari poteſt REBIS, eò quòd ex bina re principiò conceptionis componitur.

Hinc ergò ſpermata duo mixta, ſunt prima materia, ex qua demùm nil aliud fieri ſeu naſci poteſt, quàm forma hominis: quia omne ſemen promptum eſt, ac potens dare formam, quam in ſe continet: Et ſic ex duobus anteà actu exiſtentibus, fit tertium in Natura: quia ſemper in tertio virtus finitur, & in ſecundo multiplicatur: Hoc enim veræ miſtionis eſt proprium, ut ex duobus diverſarum formarum miſtis corporibus reſultet tertium corpus novæ formæ.

Quùm itaque omnem intentionem noſtram non ſecus, nec aliter, quàm ſecundum ipſiſſimam infallibilem Naturæ normam inſtituere jubeamur, ſequitur omninò, quòd ad conficiendum lapidem philoſophicum non in una ſola re, ſed in duabus; & non

D 5 pau-

paucioribus;nec etiam pluribus, nos operari oporteat:in cuius rei confirmationem ſinè multas poſſem adducere leges,ſed brevitatis cauſa duas ſaltem è ſecunda parte Comitis Treviſani proferam,ubi ſic legitur: Noſtra medicina fit ex duabus rebus , quarum una eſt fixæ, altera non fixę naturę, una ſpiritualis & corporalis,frigidæ & humidæ altera calidæ & ſiccæ , & ex alijs rebus pluribus, paucioribus-vè fieri nequaquam poteſt. Altera lex ita ſonat: Opus noſtrum non fit, niſi ex duabus materiis, non videntur, nec tanguntur, nec intrant plures, quàm duę,nec in magiſterij noſtri principium,neque medium,neque finem.

Et in hoc conſentiunt omnes philoſophi naturales, quando ſic loquuntur vel ſimiliter: Multiplicatio generativa fit in mare & fœmina.

QUAMVIS ergò philoſophi interdum hinc inde ſcribant, quòd unica tantùm res ſit,qua totum negotium abſolvitur: Scias tamen illud nulla alia ratione fieri,quàm ſolùm,ut indigni, quorum ſcilicet

licet ſcopus tantùm eſt, multas ſibi opes ac divitias comparare, ut in alios dominari, & pro ſuo lubitu in omnis generis voluptatibus ac inſolentiis vivere poſſint, ſeducerentur, & ſic ab arte deterrerentur, atque ita ſummum iſtud Myſterium tantò occultiùs maneret.

Atq; in hoc, ut & in aliis, philoſophi ſanè quàm prudenter agunt: Eſt enim Dei voluntas, ut tantum Naturę Myſterium non niſi filijs ſapientiæ reveletur, qui nempe non opum, quùm pauco contenti, ſat divites ſint, ſed admirandorum Dei operum juſto deſiderio ad hujus artis cognitionem alliciuntur: Interim tamen etiam rectè dixerunt: Eſt enim re-vera Mercurius philoſophorum unica tantùm res, in qua totum Magiſterium noſtrum conſiſtit: ſed illud intelligi debet poſt legitimam ejus præparationem, qua prævia, Mercurius ille dicitur quidem res una, ac propterea CAPUT futuri coloris corvini, ſeu corona victorię: quia ſola virtutę ejus, ſolaq; fortitudine fiunt omnia: Interim tamen

men abſque ſecundo quodam, opus nequaquam perficit, ſicuti omnium rectè philoſophantium perpetuus eſt conſenſus: Omne enim quod eſt ſolum vel ſimplex elementum, facit tardam generationem in ſemetipſo. Atqui Mercurius philoſophorum eſt tale ſolum vel ſimplex elementum, nempe purus ignis. Ergò Mercurius philoſophorum facit tardam generationem in ſemetipſo: Unde per conſequens, ut citò generare poſſit, componi requirit: quia ex ſimplici nil fit, ſed ex compoſito. Omne autem compoſitum duo exigit; unum ut conſiſtat; alterum ut cohæreat. Ad conſiſtendum ſiccitas data eſt: Ad cohæſionem eſt humidum interpoſitum.

Quùm autem Mercurius philoſophorum res ſit planè humida, quæ nempe inſtar aquæ fluit, niſi quod manus non madefaciat, ſequitur ad conſiſtendum illum, requiri quoddam ſecundum: quippe nulla res poteſt veni-

reà

re à primo ad tertium, niſi per ſecundum: quia non eſt tranſitus ab extremo ad extremum, niſi per medium: Omne enim medium eſt propinquius fini, quàm principium. Imò hoc pro certo ſtatuatur, OMNE ſemen per ſe nullius eſſe momenti, ſi non ponatur vel ab arte, vel à Natura in matricem debitam; & licet ſemen per ſe nobilius ſit omni creatura; tamen matrix eius eſt vita. Et ſicut in regno animali humano, ſeminis matrix eſt homo, & in vegetabili, ſeminis matrix terra; ſic in regno noſtro minerali metallico, ſeminis matrix eſt metallum. Ex his ergò omnibus denuò obſtinax illorum ſententia funditùs perit, qui nullis rationib. certis fulti, lapidem philoſophicum ex una ſola re conficiendum putant, non advertentes, quòd in regno animali humano, & ſic nec in regno noſtro minerali metallico, non creetur, vti ſuprà dixi, & in poſterùm dicetur, ex uno, unum: quia hoc ſolus Deus poteſt.

VIDI-

VIDISTI ergò maximè, quòd nulla materia unius numeri poteſt ſufficere ad perficiendum lapidem philoſophicum; ſed ſemper & ubique requiri duas. Modus autem qualiter inveniatur vera materia, verusque proceſſus, occultatus eſt à philoſophis; ſed ſecundum ſimilitudinem generationis animalium, manifeſtum eſt, & præcipuè ſecundum Naturam humanæ generationis, lapidem philoſophicum fieri ex Sole & Mercurio: nimirùm ex materia minerali agente & patiente: Nam, ut generetur homo, requiritur agens, quod eſt maſculus; & patiens, quod eſt fœmina. Agens requiritur: quia omnis actio procedit à qualitate prædominante. Patiens: quia maſculus non generat in ſubſtantia propria, ſed in paſſiva ſibi oppoſita, nempe in muliere, utpotè, quæ in regno animali humano ſola mater ſeu genitrix hominum eſt.

Quamvis autem generatio duo corpora ſpermatica, eaque diverſi ſe-

xus exigat, nullum tamen horum poſt emisſionem ſeminis formam ſuam humanam amittit, ſed eandem ipſam retinet, quam priùs habebat, niſi quòd maſculus magis debilitetur, quàm fœmina, eò quòd ſemen ſuum emiſit foràs, fœmina verò unà cum ſuo concepit. Ex duobus ergò tantùm principiis, nempe ex utroque ſemine unito, naſcitur homo.

Materiam dixi, atque ſic primum ac principale totius Magiſterij principium, quo ſine totus labor nil aliud eſt, quàm temporis atque bonorum perditio, quemadmodum expresſè videmus in ipſo Comite Treviſano, qui in ſui libri parte ſecunda diſpendia ſua atque bonorum jacturas nuſquam aliunde manaſſe conqueritur, quàm è ſola debitæ materiæ ignorantia. Unde maximè datur intelligi, quòd ille, qui certis ac indubitatis cauſis Naturæ fultus materiam novit, non longè ſit remotus ab hac arte, ſed ad eam proximè acceſſerit;

hem-

ctum ordinem digeſsiſſe: Verùm, quia calamum hic retrahere cogor, volo te, ut alij philoſophi ante me fecerunt, ad Naturæ cognitionem remittere, illam ſi rectè ceu lumen lucidisſimum ſequeris, non poteris à via veritatis aberrare: Nam ideò philoſophi dederunt NATURÆ nomen LUMINIS; idque à ſimilitudine luminis de obſcura nocte lucentis; quemadmodum enim ad illius claritatem incedentes nullibi pedem offendunt, ſed lapide rectè prævifo, amotoque, viam ſibi reddunt planisſimam: ita quoque is, qui lumen Naturæ ſequitur, non ſolùm lapidis philoſophici veram materiam, ſed & totum ejus proceſſum adeò clarè VIDET, ſicuti ſuam propriam faciem in ſpeculo apparentem; cujus rei illuſtre habemus exemplum apud pium Comitem Treviſanum parte tertia, ubi eum philoſophus quidam Barbarinus à vero propoſito divertere conabatur, ſed fruſtrà: quia Comes habebat lumen ſeu cognitionem Naturę ad hanc ſcientiam requiſitam; & ſic per conſequens libros

philoſophorum intelligebat quàm rè-ctisſimè: Hinc etiam factum eſt, ut Barbarini converſatione ſtudiô deſeruerit, certò certius ſciens, quod lumen ſeu cognitio Naturæ eum nullatenus errare, aut dubitare permitteret, ſed ei in ambiguo & ancipiti conſtituto, certisſimum conſilium & verisſimum reſponſum redderet, & ſic materiam, totumque miraculi proceſſum ſine ulla difficultate, ullisque ambagibus oſtenderet.

Quæris porrò, Annon ſit posſibile, habere certum aliquod ſpeculum è quo impoſtorum fraudes certò prævideri, atque ſic philosophus à ſophiſta diſtingvi posſit?

Reſpondeo: Sanè propter hujusmodi maledictos agyrtas atque ſpermologos, hæc laudatisſima philosophia, tanquam planè imposſibilis, damnatur, adeoq; inviſa & ſuſpecta redditur, ut etiam ille, qui veram ſcientiam alteri non animô decipiendi, ſed ex pia atque ſincera mente offert, recedere cogatur; unde poſteà talem reperire hominem, nulla ampliùs datur Occaſio.

Ut

Ut ergò impoſterùm ſophiſtarum fraudes rectè prævidere, & diſtinguere poſſis philoſophum à ſophiſta, ad tres regulas, quas mox ordine inſtar ſpeculi lucidiſſimi ponam, diligenter ANIMADVERTE:

REGULA PRIMA.

NATURÆ imperium diviſum eſt in tria regna: Minerale, Vegetabile, & Animale. Quicquid jam Natura ex omnis generis ſemine generat vel producit, illud ſemper facit in UNO aliquo ex hiſce tribus, cujus limites non egreditur. Exēplô res fiet clarior: Quando Natura intendit generare hominem, facit id non in regno minerali, aut vegetabili, ſed ſolùm ac unicè in regno ANIMALI HUMANO, ex ſemine hujus regni proprio, humano ſcilicet; idque absque ulla unquā rei extraneæ admixtione, ſeu ex illius regni limitibus egreſſione; & ſic Natura non miſcet hominem equo, bovi, cani, alterivè beſtiæ, ne inde monſtroſa quædam hominis ſoboles procreetur. Similiter ſe habet in alijs Naturæ regnis.

Quùm igitur omne noſtrum propoſitum cum Natura concordare oporteat, ſequitur infallibiliter, lapidem philoſophicum nuſquam alibi fieri poſſe, quã ſolùm ac unicè in regno minerali metallico; idque itidem abſque ulla unquam rei extraneæ additione, ſeu ex illius regni limitibus egresſione; & ſic ars noſtra ſimiliter non miſcet metallum ulli rei, quæ extra regnum minerale metallicum pertineat, ne inde fiat error: Et in hoc omnes veri philoſophi conſentiunt: ratio eſt, quia omnes res, ex quibus metalla non naſcuntur ; cum metallis nullam prorſus habent concordantiam ſeu commixtionem radicalem. Hinc pius Bernardus Comes Treviſanus ſui libri parte tertia ſic concludens inquit: Quis igitur adeò preſumptuoſus, ut credat, ſe illud perficere poſſe, taleque reddere, quale deſideramus, alio quopiam extraneo, in quo nulla radicalis habetur commixtio?

Quùm autem impoſtores ac ſophiſtę vagentur ex uno Naturę regno in aliud,

& ſic

& ſic per conſequens ex una materia in alteram, ecquis non ad oculum videret, illorum ſcopum non eſſe decipere? Ad hæc etiam, ſicuti circa multas ac diverſas verſantur materias, ita multis quoq; ac diverſis vaſis, jam vitreis, mox æneis, modò ferreis, & plerumq; magna ignis violentia utuntur: quæ omnia rurſum directè pugnant contra Naturæ curſum quæ nihil violenter, ſed verè naturaliter agit.

Ex quo denuò ultrò ſequitur, quòd omnes, qui in extraneis laborant, & modo extraneo, & nihilominus tamen ſua ementita & ſophiſtica Recepta ſub pōpoſa ſpecie veri publicant, fugiendi ſint: Non enim ſufficit dicere, Recipe hoc & illud, & fac taliter neſcio qualiter, firmiſſima Naturę fundamenta requiruntur, priusquam velum applicetur ad praxin, alias in vanum laboratur: Nec ſatis eſt, poſſe ſpeciosè hac de re loqui, & multa ex propria phantaſia blaterare: Hæc enim omnia rem non certificant, ſed tantùm nugamenta ſunt. Artis certitu-

titudo conſiſtit in DA DEMONSTRANDI; idque non aliter, quàm per LUMEN NATURÆ ET PHILOSOPHOS, uti è ſequentibus regulis latiùs percipies:

REGULA SECUNDA.

Quemadmodū faber aurarius verum aurum à falſo probaturus, non ſtatim auri ſplendorem, neq; gravitatem curat, verùm etiam ad majorem rei certitudinem experitur, nùm examinationem cineritij & cæmenti toleret, tandem quoque ad lapidem lydium examinat. Atq; hoc fundamentum eſt, ex quo aurum falſum à vero internoſcitur.

Item, quemadmodum ſola ſcriptura ſacra agnoſcitur judex, regula & norma, ad quam ceu ad lapidem lydium omnia dogmata exigenda & judicanda ſunt, an pia, an impia, an vera, an verò falſa ſint? Quæ autem extra ſacrorum Bibliorum CONCORDANTIAM allegantur, non obtinent authoritatem judicis. Hæc enim dignitas ſoli ſcripturę Propheticæ & Apoſtolicæ debetur: Nam illa ſola omnes

con-

controverſias diluit, diſcutit, & veri judicis officiô fungitur.

Item, quemadmodum Juriſconſultus fundamentum ſuum petit è textu jurium imperialium; ITA ſimiliter philoſophia noſtra, niſi procedat ex eodem ipſo fundamento, quô nos veri philoſophi unanimi conſenſu relegant, NEMPE E LUMINE NATURÆ, ET LEGIBUS, ITA NIMIRÙM UT HÆC AMBO quàm juſtiſſimè, & ſine ulla contradictione CONCORDENT, vana ſunt omnia:

REGULA TERTIA.

Qui ergò vult hoc magnum Naturæ arcanum revelare, eum oportet habere immobilia fundamenta atque regulas, juxta quas totius rei caput recte cognoſci, & intelligi poſſit: Nec quidem illa fundamenta è ſui proprij cerebri figmẽto, aut alio ſophiſticationis pigmẽto petenda, ſed ex hiſce duobus, nẽpe è LUMINE NATURÆ & philoſophorum DICTIS ſunt demõſtranda: Ipſi n. philoſophi tũ

leges omnes, tùm omnia luminis Naturæ exempla ad aperiendum totum Myſterium adeò affatim atque ſufficienter hinc inde ſparſim in ſuis libris poſuerunt, ut nil omninò de noſtro addere, opus ſit. Ex tali inquam HARMONIA Naturæ & legum, veritas pura, ſimplex, & ab omni veſte nuda prodit. Quicquid autem extra hanc luminis Naturæ atq; legum philoſophicarum HARMONIAM in hac arte dicitur aut concluditur, nil niſi mera ſophiſticatio eſt; ac proinde deceptio: Hæc enim certitudo ſoli lumini Naturæ & legi philoſophicæ debetur.

Hinc ergò ſola luminis Naturæ atq; legum philoſophicarum HARMONIA, eſt unicum illud ſymbolum, quo PHILOSOPHUS à ſophiſta, & ſic verum à falſo, luxque à tenebris proditur. Pergamus ad alia:

Quæris, Annon hæc ſcientia poſſit dari paucis verbis?

Reſpondeo: Poſſent quidem omnia paucisſimis dari lineis, imò verbis: ſed omni-

mninò oportet, ac neceſſum eſt, ut habeas Cognitionem Naturæ: alias enim tàm brevibus verbis, tamque levi modo procedendi non crederes, teſte ipſo Comite Treviſano, qui in ſua præfatione ſic ait: Facilis eſt admodùm, & usque adeò, ut, ſi claris enarrarem verbis, vel ad oculum demonſtrarem, vix credere poſſis. Idipſum innuit clariſſimus in hac arte philosophus Michael Sedinvogius, dùm ita loquitur: Aliquoties accidit, ut quibuſdam de verbo ad verbum artem inſinuarem, SED NEQVAQVAM aſſequi potuerunt, NON CREDENTES aquam in mari noſtro eſſe, & tamen philosophi videri volebant. Hæc illi.

Unde liquet apertiſſimè, Naturæ cognitionem omninò eſſe neceſſariam, nullamq; unquam veram praxin manualem formari poſſe, niſi priùs vera Naturæ Cognitio præcedat: Nam hæc eſt in artificis mente fabrica illa idealis, ex qua artifex extrariã ſuam praxin conducit, eſtq; unica illa clavis atq; janitrix, quæ philosophos, & ſic totum Myſterium a-

 perit.

perit. Vel: Naturæ cognitio eſt ſolum illud lumen, quod in tenebris lucet clariſſime: quô prævio, reliqua ignorari non poterunt: Nam ſola Naturæ cognitio errores prævidet, corrigit, emendat, omniaque oſtendit. Quicunq; veram habet Naturę cognitionem, veram etiam habet artis Theorian: quia vera Naturæ cognitio nil aliud eſt, quàm Theoria: Theoria verò nil aliud, quàm certa præconcepta Praxis, quæ ſola parit miraculum. Qui ergò veram habet Naturæ cognitionem, hic ſua Praxi, hoc eſt, ſuô labore non fruſtrabitur, nec alij, quibus opem feret aut conſilium. Quamobrem etiam Veneranda Fraternitas Roſeæ Crucis circa ſuæ Confeſſionis finem rectè & piè monet, quòd nēpe hujus philoſophiæ inquiſitores non ſint admittēdi ad praxin, niſi priùs rectam habuerint Naturę cognitionem. Idem intelligi datur à philoſopho per hęc verba: Hi trāſeunt ad praxin ſicut aſinus ad cœnā, neſciens ad quid porrigat roſtrū, niſi quantùm ſenſus exteriores ſine intellectu per vi-

viſum & guſtũ ad pabula deducunt: Sic & ipſi aſini ſine veris principijs, & ſtudiis fructuoſis, ac ſine Naturæ cognitione quęrũt opera Naturę perficere, & ſecretum ſecretisſimũ totius philoſopię naturalis. Hoc ipſũ quoq; affirmat probus Michael Sedinvogius hiſce verbis: Fruſtrà laborat ille, qui ſine cognitione Naturę manus ad labores porrigit. Item in eodem capitulo: Sine lumine & cognitione Naturę impoſſibile eſt, hanc asſequi artem. Et iterũ in eodẽ librô: Multò meliùs eſt, cerebrô & imaginatione priùs diſcere, quã manu & ſumptibus. Eſt igitur imprimis atq; maximè necesſarium, habere cognitionem Naturę: Sic namq; non laborabis in incertum eventũ, ſed quia agis uti Natura jubet, etiã Natura deſiderium tuũ adimplebit. O Naturæ ſimplicitas, quę tuam normã ſequentib: omnia revelas! Non in verborũ ſubtilitate, ſed tantùm in Naturę ſimplicitate totum ſecretũ latet: Hanc ipſam Naturæ ſimplicitatẽ antecesſores noſtri quã curioſis ſimè ſequentes, lapidẽ philoſophium ſine ullis libris invenerunt. De-

Dementię ergò in hac arte meritò illos accuſant, qui alia via, quàm ipſa Natura ab exemplis ſuarum operationum præmonſtrat, procedere volunt: Non enim tàm ex libris hominum, quàm ex libro ſolius Naturæ hæc philoſophia diſcenda eſt. Et ſi de arte aperienda nil aliud extaret, quàm quòd philoſophus ſaltem dixiſſet:

QUI PRINCIPIA NATURALIA IN SEIPSO IGNORAVERIT, HIC IAM MULTUM REMOTUS EST AB HAC ARTE: QVONIAM NON HABET RADICEM VERAM, SUPER QUAM INTENTIONEM SUAM FUNDET.

Tamen ſola hæc ſententia, quæ planè aurea eſt, rectè intelligenti plusquàm ſatis ſufficeret ad aperiendum totum Myſterium: Verùm, eos ſic contra clarum Naturæ ſolem cæcutire oportet: Si enim ſtatim à prima operis inceptione videre posſent materiam veram, & ſubinde viam, qua ulterius pergendum, ars noſtra propter facilitatem jam pridem viluisſet. Recta via facilis, ſed non eſt, nec esſe poterit unquam hæc ars inventu factuque tàm communis atque in ſeipſa facilis exiſtit: Eſt enim purum donum

numDei,quod datur immediatè perSpiritum ſanctum intellectum hominis illuminantem, vel per medium alicujus fidelis præceptoris : nam alioquin impoſſibile eſſet,homines in tanta veritatis luce adeòusque occæcari. Hinc ad quæſtionem tuam; An ars ſit adeò difficilis, ut eam nonnulli faciunt, ſic reſpondere,datur occaſio.

Quamvis aurũ ſit metallum excellens, pretioſum atq; nobile,haud tamen inde ſequitur, artem propterea etiã oportere esſe difficilem; ſed potiùs elucet; quùm omnia è lumine naturæ procedant; ac proinde neceſſariò unus labor ex alio ſequatur,artem eſſe facilem. Quod autem philosophi eam tantoperè, adeoq; profundè tegant,id ſolùm fecere, ne vileſceret: Niſi enim hæc ars esſet admodum facilis, non ita ſub miris ænigmatum figuris, longoque verborum ambitu eam occultasſent. Nam quod intellectu eſt difficile,illud ulteriori occultatione non eget: quia per ſe ſatis difficile intricatum, obſcurum, ſeu occultum

eſt:

eſt: è contrà verò, quòd factu facile eſt, ac propterea nolumus, ut aliis innoteſcat, illud neceſſariò obſcuris verbis involvimus, ut ſic multùm difficultatis pręſe ferre videatur, alioquin commune fieret artificium: Ubi enim arcanum deſinit, ibidem artificium mechanicum incipit, & ſic inſipiens ſapienti, pauper diviti, inferiorq; ſuperiori ſimilis foret, nulla à ſubditis obedientia principibus pręſtaretur, dilectio erga proximum penitùs evaneſceret, alter in alterum ſæviret, & quicquid hujuſmodi infinitorum ac enormium peccatorum hinc oriretur, ita ut rerum omnium metamorphoſis eſſe, tandemque mundus inde peſſum ire cogeretur: Ille verò, per quem hoc ſacrum Naturæ myſterium vulgo propalatum eſſet, proculdubiò æternas lueret pœnas: quia horum omnium malorum ipſe cauſa fuiſſet.

Interim tamen ex ijs, quæ dicta ſunt, tàm facilem exiſtimare artem non oportet, ut quivis eam ſtatim aſſequatur: Nam Mercurium noſtrum præparare, mul-

multas inter operandum requirit ſubtilitates, quarum hic non eſt facienda mentio.

Ad petitionem tuam de deſignandis libris ſelectioribus in hac philoſophia, ſic reſpondeo: Infiniti quidem ſunt libri de hac arte tractantes, ſed omnes adulterini, ſaltem falſa Alchymiſtarum Recepta continent, aut ſi qui philoſophi genuinos edidêre libros, tamen usque adeò obſcuri ſunt, ut, qui prætendit artem invenire mediô librorum iſtorum, raro & tardè rem aſſequatur: ſibi-ipſis tantùm & intelligentibus, non incipientibus ſcripſerunt: libros ſuos nullis exemplis Naturæ, nec aphoriſmis illuſtrarunt, ſed ſolùm ænigmatibus, ac verborum involucris impleverunt: quia maximè veriti ſunt, ne quis indignus artem ab exemplorum naturalium inductione conciperet, ac poſteà temerè in vulgus, aut in indignum quendam profanaret. Hinc itaque vix in ullo reperies veritatem eate-

eatenùs nobis patefactám, quàm in iſtis, quos nuper, & partim in hoc Scripto nominavi; illi enim ſtratam viam filiis ſapientiæ fecere, qua pervenire poſſent ad cognitionem artis: nõ ſibi ipſis tantùm ſcripſerunt, ſed media dederunt, dùm nos ſolùm ac unicè ad exempla & operationes Naturæ relegant, quibus hanc philoſophiam facilè apprehendere atq; cognoſcere poſſumus; dùmmodò nobis pium propoſitum erga Deum atque homines faciamus; ac poſteà ipſum Naturæ filum quàm conſtantiſſimè ſequamur; nec ab eo deflectamus unquam.

Nunc paucis explanabo, quænam ſit illa Natura; ad cujus lumen oporteat componi lapidem philoſophicum, & quales debeant eſſe Naturę ſcrutatores. Ut autem res tantò faciliùs intelligatur, ſciendum eſt, me hic tantùm loquuturum de Natura generante, ſeu propagãte ordinariè, nempe quodvis ex ſuo ſimili. Corruptio aliter ſe habet: Eſt enim mutatio, qua ad qualitatem contrariam itur, quo pacto album quippiam fieri, & ni-

nigrum quippiam fieri, inter ſe opponuntur: alterantur enim hæc, atque in qualitatis contrarios terminos mutatio fit, ſicuti videmus, quòd vegetabiles herbæ in ſtomachum ingeſtę in chylum convertuntur, chylus per hepar in ſanguinem, & ſanguis per renes & teſticulos in ſpermа vel ſemen, ex quo tandem homo naſcitur; qui denuò putreſcens aptisſima alimenta herbis quibuſcunq; impertit, &c. Eodem modò canis ſtrangulatus in veſpas, & vituli viſcera in apes transformari perhibentur. Hic ſimile non generat ſuum ſimile. Item, ſi videas herbam vel arborem trāſire in cinerem, cinerem in vitrum: Hic quoque herba vel arbor non generat ſuum ſimile, ſed omninò qualitatis ſuę contrarios terminos. Quænam autem ſit hujus disſimilitudinis cauſa, facilè patet, nempe quia corruptio corporis & ſeminis deſtructio hoc pacto præcesſit: Certum enim eſt, quod ex corpore humano deſtructo ſeu mortuo non generetur ſeu propagetur homo, ſed aliud quippiam à forma hu-

F ma-

mana omninò diſſimile. Dùm autem homo,herba,arbor,metallum,&c.ſuam activam vim vegetam,atq; vitalem obtinent,tunc certè ſunt initium ulterioris imò ac infinitæ propagationis: quando autem eorum ſubſtantia generativa, hoc eſt humidum radicale, vel ſemen corrumpitur ſeu occiditur,tunc vim generandi penitùs amittunt, & ſic ex illis nulla ampliùs propagatio ordinaria fieri poteſt:quia privatio cauſæ efficientis tollit effectum ipſum.

Nec obſtat, quòd infers, neminem negare poſſe,quin etiam Natura operetur in ſtomacho,hepate,renibus, teſticulis,&c.& ſic ex herbis per humanalia organa digeſtis hominem enaſci poſſe: Generatio enim ſeu propagatio humana non fit ex cauſa longè remota ut ſunt herbæ,fruges panis, & id genus edulia, ſed à cauſa ad generandum hominem proxima:Nam certè quò quid rei naſcēdæ natura fuerit ſimiliùs, eò faciliùs citiùsq; generabit ſuum ſimile. Facilior etiam eſt, magisq; naturalis propinquo-

rum,

rum,quàm remotorum invicem operatio. Exemplô: Quando Natura intendit generare ſeu propagare alicujus rei ſimile,non accipit quod eſt ab illa generanda ſeu propaganda re disſimile,& ſic per cõſequens lõgè remotũ, ſed accipit tale ſimile,quale ipſa ſibi proponit generare. Quẽadmodum n. finis ſuũ principiũ,ita omne genitũ reſpicit ſuum genitorẽ,cujus nẽpe formã repręſentat. His ce ita pręviis,pergo ad propoſitum: NATURA eſt una,vera,continua, confuſionis ignara,patiens,conſtans, & ſimplex.

Una eſt, quod expreſſè videmus in omni rerũ generatione: quùm n. meditatur generare quippiam, unum tantùm habet,tenetq; modum,& non plures.

Una quidem eſt,& tamen res producit diverſas, uti indies ac ubique videmus ex rebus generatis,mineralibus videlicet,vegetabilibus & animalibus.

Quamvis autem natura rerum diverſarum ſit productrix ſeu genitrix,tamen non ex quolibet facit quodlibet, ſed ſecundum immutabile Dei ſtatutum

unumquodque generat vel producit ex ſuo proprio ſemine. Quicquid ergo ſemen vult, operatur Natura, ſive ſeminis potentia ſit nobilis, ſive ignobilis.

Sed obijcies, non omnia ex ſuo proprio ſemine, ſed certa quædam animalcula ex putredine, & cœno naſci.

Reſpondeo, Dei creaturas ita diſtinguendas, ut aliæ ordinariæ ſint, & ſpeciē in rerum Natura obtineant: aliæ monſtra, & errores potiùs vel Naturæ anomala quædam habenda. Plura de hiſce inſectis afferri poſſent è phyſica ſchola, ſed quid hæ quisquiliæ ad noſtrum propoſitum? Satis enim confirmat fœcunditatis benedictio, hominem ex homine, equum ex equo, Leonem ex Leone prodire, & ſic deinceps. Pergamus:

Natura vera eſt: quia ipſa veritas, nempe Deus eam fecit, eiq; ſtatim in creatione mundi potentem vim implantavit ex quatuor elementorum commoda commixtione producendi omnis generis ſemina, ut poſteà ex quolibet ſemine non alienum quippiam, ſed id generaret,

ret, cujus potentiæ ſeu formæ ſemen eſſet. Hinc etiam Natura non ementitur hominem ex alio quopiam principio, quam è proprio ſemine humano; & ſic deinceps omnia reliqua, tàm quæ ſuprà, quàm quæ infrà in terræ viſceribus naſcuntur.

Natura continua eſt: quàm primùm enim quippiam generare incepit, ſine intermisſione pergit ad ſummam uſque iſtius rei perfectionem, niſi fortè accidentaliter præpediatur.

Natura eſt confuſionis ignara: generando n. hominem operatur per gradus in hunc modum: Ex commixtione mutua viri ac mulieris fit unio ſeminis: Ex unione coagulum: Ex coagulo forma infantis: Ex infante puer: Ex puero adoleſcens, & ſic asſiduo ordine uſque ad perfectum hominem.

Natura patiens eſt: quia in rebus generandis non feſtinat, ſed gradatim ſucceſſivè operatur.

Conſtans eſt: quùm enim intendit generare hominem, non vagatur ex regno

animali humano in aliud, & ſic ex una materia in alteram, ſed in regno animali humano conſtanter manet, & ſic non miſcet marem & fœminam, nec eorum ſemen cum alijs rebus extra regnum animale humanum pertinentibus, ne fiat monſtrum.

Simplex eſt: generando enim hominem non meditatur ſublimia vel ſubtilia, quæ nempe contra ſuum ipſius curſum militant, ſed in ſimplici generationis via perſiſtit uſque ad complementum hominis.

Quamobrem tu, qui hujus inferioris Naturæ princeps conſtitutus es, ſi tibi proponis arte conficere, quod Natura ſua ſponte nunquam feciſſet, nec etiam meditata eſſet, nempe lapidem philoſophicum, oportet, ac neceſſum eſt, ut ſis omninò talis, qualis eſt ipſa Natura.

1. Unus, hoc eſt ne tibi perſuadeas, lapidem philoſophicum poſſe fieri pluribus modis, quàm unô: Omne n. quod ritè peragitur, unicô mediô perficitur.

2. Verax, hoc eſt ne quæras in re, quod

in ea nõ eſt: Non n. ex quolibet fit quodlibet, ſed determinatũ ex determinato.

3. Continuus, hoc eſt non jam hoc incipias, poſteà intermittas, ſed quàm primùm veram habes materiam, verumq; laborandi modum, actiones tuæ ſint continuæ, non interruptæ.

4. Confuſionis ignarus, h.e. ſicuti Natura deducit res de potẽtia ad actum ſecundum ordinẽ, ita & tu nihil confusè, ſed omnia juſtisſimô ordine age. Vel; Quẽadmodum Natura nil abs q; ordine vel meditatur, vel efficit, ita ſimiliter in hac arte nil confusè agitur, ſed ſemper unus labor ex alio ſequitur neceſſariò.

5. Patiens: omnis enim digeſtio requirit ſibi tempus ſufficiens.

6. Conſtans, hoc eſt ne vagare ex uno Naturę regno in aliud, & ſic ex una materia in alteram, ſed unicę ſaltem materiæ animum applica.

7. Simplex, nempe non velis tibi imaginari res ſubtiles, de quibus Natura nil ſcit, ſed manere in via regia, plana, ac ſimplici, quam Natura ab exemplis

operationum ſuarum præſcribit: quicquid autem extra hoc lumen Naturæ tentatur, vanum eſt, & nil niſi temporis, ſumptuum, atque laborum perditio.

Hactenus Naturam, quo fieri potuit ſuccinctius explanavi, ac quidem eum in finem, ut te non modo à devijs in ſemitam rectam reducerem, verùm etiam præcaverem, ne lapidem philoſophicũ alibi quæreres, quàm IN SOLA LUMINIS NATURÆ SIMPLICITATE. Sunt enim inter cæteros, qui putant, lapidem philoſophicum quærendum eſſe in Magia divina, & ex hoc præcipuè capite: quia hæc ſcientia ſæpè appellatur ſcientia divina & ſupernaturalis: quorum quidem intentio non eſt improbanda: deſcendit enim omne donum bonum & perfectũ à Deo Patre LUMINUM, ſine quo nil boni poſſumus facere: Interim tamen miracula divina etiam infimis Naturę operibus communicare atque æquiparare, & ita cũ profanis permiſcere atq; confundere, impium eſt. Quamprimùm enim Deus orbem hunc inferiorem cun-

ctis

ctis creaturarum ordinibus compleverat, univerſæ Naturæ ſemen ſingulis indidit, ex quo, ut in anterioribus dictum extat, nova rerum progenies indies naſceretur. Ex hoc, inquam, Naturæ fonte ARS noſtra manat, nec profundius, nec altius, neque remotius exquirenda.

Eſt quidem Natura magia divina: quia Deus eam fecit, ſed eſt magia omninò naturalis, juxta quam nempe certò ac definitè ſcimus atque videmus, quid ex quovis creato ſingulatim rurſum enaſci oporteat. Magia verò ſupernaturalis ſeu Cabala ab hac prorſus eſt abſtracta atque ſeparata, quia contra eam militat, in eo ſcilicet, dum ejus proprium non eſt generare, ſed tantum ſacræ legis Myſteria elucidare, eaq; ſine cauſarum naturalium interventu declarare, ac docere quînam cum Deo vivendum, & ex ipſo ſolo prophetandum ſit: præſagia ſiquidem illa futurorum ex natura præteritorum & præſentiũ effari docet. Hanc utramq; Magiam habet veneranda Fraternitas Roſeæ Crucis: Verum, quia in

theſauris Magiæ ſupernaturalis recondita ſunt longè ulteriora, majora, ſublimioraq;, quàm in Magia naturali, meritò pia Fraternitas fatetur, quòd aurum facere veris philoſophis, hoc eſt Naturã ſcientibus res ſit facilima, imò in comparatione Magnalium è Magia ſupernaturali provenientium, ſaltem PARERGON, & rectè quidem: Nam certè quæ fiunt ex ordine Naturæ, non æquè mirabilia ſunt, ac illa quę Naturam ſuperant: quamvis & quæ Natura facit in hac arte etiam ſint maximè admiranda. Sed profectò, quoties miracula, quæ in iſta Confeſſione extra hoc Parergon recenſentur, mecum conſidero & contemplor, toties quaſi in abysſum mens mea rapitur, & in intuenda, contemplandaque miraculorum magnitudine vires animę deficiũt; & dum me ab hiſce demitto ad lapidẽ philoſophicum, intellectui meo ſemper obviat ſententia Salomonis Sap. 7. SAPIENTIAM regnis & ſedibus præpono, & divitias nihil eſſe duco in comparatione illius: nec comparo illi LAPI-

DEM PRETIOSUM: QUONIAM OMNE AURUM in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimandum argentum in conſpectu illius.

Sunt & alij, qui lapidem philoſophicum petunt è Nicromantia, nempe per conjurationes ſpirituum, ſigilla, characteres, & hujusmodi diabolica, ſed abeat tale genus hominum, & tales colligat fructus, quales ipſorum errores merentur. Nos interim certi ſumus, quùm diabolus ſit pater tenebrarum & mendaciorum, quòd nullum ab eo donum poſſit dari bonum & perfectum; Bonum enim & perfectum donum non diabolo dat Deus, ſed tantùm homini, juxta virtutem verbi ad hominem facti: Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus oves & boves univerſas; inſuper & pecora campi, volucres cœli, & piſces maris. Item Chriſtus inquit: PETITE ET ACCIPIETIS, at regnum Dei primùm, & cætera adjicientur vobis. Hæc divinorum verborum VIRTUS, quùm diabolũ ab omni bonorum & per-

& perfectorum donorũ poſſeſſione ſecludat, qui poſſet dare aliis, quorum ille nunquam fuit, eſt, nec erit acceptor, & ſuper quę dãdi poteſtatem, nec habuit, nec hab t, neq; habebit unquam? Redeo nunc, unde ſuprà ſum digreſſus:

Appellatur hæc ars divina & ſupernaturalis nulla alia cauſa, quàm ob ſtupendos effectus, quos nimirum lapis ipſe in projectione præſtat: quemadmodũ enim una pars fermenti habet convertere infinitas partes paſtæ in ſuam naturam, ita & hic lapis habet convertere infinitas partes metallorum ad ſe; cujus rei exemplum habemus clarum ab ipſo Raymundo Lullio circa finem ſuorum experimentorum per hæc verba: Reſtat nunc dilecte fili, ut hujus lapidis admirandam finiamus projectionem; cujus vis activa tantæ eſt ſublimitatis atque immenſitatis, ut fermè crederem, UNIVERSUM MARE, ſi argentum vivum eſſet, mirabili hac medicina congelari & in aurum converti poſſe. Quamobrem, id, quum videris, ne putes, per incan-

cantamentum vel oculorum faſcinationem fieri: Sicut enim una libra fermenti centies millies millenas libras paſtæ in ſui naturam mutat: ità ſimiliter, imò ac multò efficacius hæc medicina in metallis operatur. Hactenus. Hinc factum eſt, ut ipſe Lullius projectionem ſuper metalla faciens ferè deſperaret ab arte, nempe quùm videret, lapidem præ nimis immenſa ſua virtute, & igneitate metalla non mox illicò in aurum, ſed in merum pulverem ejuſdem efficaciæ, cujus ipſe lapis erat, convertiſſe. Hinc verè Metaphyſicum opus hoc loco, optimo jure nominatur, & magnum illud ſupernaturale ſecretum, ob quod philoſophi noſtram ſcientiam divinam eſſe dixerunt: quia deficiunt in ea rationes humanæ.

Scimus quidem, quare lapis factus ſit totus ignis: cur verò ejus tàm exilis particula penè innumeras partes argenti vivi vulgi in aurum convertat, non facilè eſt explicare: quia id fit ex occultis & abditis naturæ proprietatibus.

Sola

Sola igitur projectio eſt illa potisſima cauſa, quæ facit artem noſtram reputari pro opere ſupernaturali; cujus rei multa posſem huc allegare exempla, verùm quia pasſim habentur apud philoſophos, unicum ſaltem ex præcitato loco Raymundi proferam ut ſequitur:

Jam procedemus; inquit, ad projectionem: Accipe de hac precioſa medicina partem unam inſtar magnitudinis fabæ, & projice ſuper mille uncias argenti vivi, & illicò fiet medicina converſa in pulverem rubrum, de hoc pulvere accipe unciam unam, & proijce ſuper mille uncias novi argenti vivi, & ſtatim etiam convertetur in medicinam, de hac medicina accipe rursùm unciam unam, & proijce ſuper mille uncias novi argenti vivi, & iterùm fiet medicina, de hac poſtrema medicina projice denuò unciam unam ſuper decem mille uncias novi argenti vivi, & hoc totum convertetur in aurum, melius quàm quod minera peperit. Hæc ille.

Si

Si jam benè calculum ponas, habebis ex unicà illa particula tincturæ 1000000000000000. uncias auri puri, quæ juſtè conſtituunt 62500000000000. libras auri.

O verè Metaphyſicum! O præſtantiſſimum aurum philoſophorum! O aurea ſubſtantia metallorum! O magnes noſter, quem mortales dum quotidiè oculis vident, & manibus tractant, non agnoſcunt! O Æterna Sapientia ab æterno, quis tibi poteſt unquam ſatis condignas agere gratias pro tàm incomparabili myſterio, quod in profundum NATURÆ PLANTASTI! Quid conqueruntur adhuc mortales anxij? Cur infinitis animos ſuos curis exagitant miſeri, quùm Deus omnia dederit omnibus, dicens: Pulſate & aperietur vobis, petite & dabitur, quærite & invenietis: ſed ante omnia regnum Dei, & omnia adiicientur vobis. VERÙM, ea cognoſcere, quæ in Naturæ ſinu latent, non eſt omnibus datum cœlitùs.

O ter-

O terque quaterque fęlicem, qui hoc magnum Naturæ myſterium ſibi habet RECTE REVELATUM! Eum perfectò oportet in conſtellatione ſalubri natum eſſe: cui ad tàm incomparabilis myſterij revelationem PATET ADITUS! Illi inquam, qui tale myſterium revelat alteri, non poteſt parallelum ſeu æquivalens reddi: quoniam qui habet hoc arcanum ad finem divitiarum pervenit, & totius arcanorum Monarchiæ factus eſt rex & poſſeſſor; non tàm ex eo, quod habet poteſtatem convertendi metalla in aurum & argentum, quàm quod hominē poteſt curare & liberare ab omni corporis ægritudine usque ad ultimum à Deo conſtitutum terminum mortis: quemadmodum enim lapis philoſophicus metalla imperfecta ab omni imperfectione ſanat uſque in ſupremum perfectionis gradum, ita quoque exiſtit medicina univerſalis ad percurandum, Deô volente, omnes indifferenter humani corporis morbos, qui nempe à cauſis naturalibus in corpore humano generantur

quo-

quorum plurimos alij medici pro planè incurabilibus æſtimant, & relinquunt. Quapropter hæc MEDICINA præ omnibus alijs medicinis & mundi divitiis eſt oppidò perquirenda: Quid enim illa POST COGNITIONEM DEI excellentius? Quid cognitu deſideratius, & intellectu jucundius eſſe poteſt? Altera Theologia verè nominanda venit, in eo ſcilicet, dùm nedum ſpectantem ad ſummam traducit admirationem, verùm etiam lapideum quemvis hominem à mala vita ad pœnitentiam, pietatem & agnitionem ſui Creatoris commovet!

Quùm itaque lapis noſter ſit fons divitiarum inexhauſtus, meritò eum ambo philoſophi Hermes & Geber ſic commendant: Qui hanc artem ſemel perfecerit, ſi deberet vivere mille millibus annis, & ſingulis diebus nutrire quatuor millia hominum, non egeret. Et hoc confirmat Senior, dicens: Eſt ita dives, habens lapidem noſtrum, ſicut qui habet ignem, poteſt dare ignem cui vult

&quando vult,& quantum vult,ſine ſuo periculo & defectu. Hæc illi.

Licet autem ars hoc loco non imitetur Naturã, propter inſignem ejus ſublimitatem, id tamen facit in prima ſua operatione, quemadmodum apertè teſtatur Dionyſius Zacharius dum inquit: Naturalis dicitur ſcientia, quòd in prima ſua operatione imitatur Naturam, quantò diligentiùs poteſt. Nec impedit, quòd Geber in ſua ſumma dicit, artem non poſſe imitari Naturam in omnibus: hoc enim intelligi voluit non de prima operatione, ſed tantùm de ſecunda finali in projectione, nempe quia ibi artis operatio multò altior & ſublimior eſt, quàm Naturæ: Unde per verbum (in prima operatione) intellige totam præparationem lapidis usque ad projectionem: Nam, quòd ars in prima ſua operatione Naturam omninò imitetur usque ad opus projectionis, affirmat ipſe Geber in eadem ſua Summa: Non eſt, inquit, quod filius artis animum deſpondeat in hoc opere divino: Siqui-

Siquidem aſſiduè meditans cauſas naturalium compoſitionum, tandem eò perveniet, quò tendit animus ejus. Item in eadem Summa: Ars noſtra Naturam imitatur, quantò propiùs poſſibiliusq; fieri poteſt. Idipſum fatentur omnes veri philoſophi, imò ferè ad ravim usque clamant, quòd ſine Naturæ imitatione impoſſibile ſit, hanc aſſequi artem, niſi ſingulari revelatione divina alicui contingat, vel per ſecretam amici demonſtrationem.

Aſſentior quidem, ſi omnia contemplari velimus ad ſubtiliſſimum, poſſe etiam primas artis actiones dici ſupernaturales: quia ars corrigit, ſuperat & tranſcendit Naturam, in eo ſcilicet, dùm intendit meliorare tincturam ſolis in ſole plùsquam eſt in ſua Natura: Verumenimverò talis actio inſtituitur neceſſariò, ut opus finale ſit melius actione, & effectus potior habeatur cauſa, juxta Ariſtotelem, qui librô primô Ethicorum rectè præcipit, Opus eſſe melius actione, quùm operis causa actio ſuſcipiatur:

Semper enim in cauſis principem locum finis obtinet: ut domus ædificatione melior, & meſsis agricultura, & tela textura, & vinum racematione. Sed hæc dicta ſint per obliquum, tranſeamus ad alia:

Quòd ſtatuis vegetabilia poſſe reduci in quatuor elementa, & ſic eorum ſubſtantiam ſubtilem extrahi, nihil facit ad præſens negotium: Vegetabilia enim non ſpectant ad claſſem mineralem metallicam, ſed ab ea planè ſecluduntur: quia omnis Natura ſola ſua Natura in ſuo regno lætatur. Præter hæc etiam manifeſtè videt monoculus, talem tuam reductionem ex diametro pugnare contra Naturam, quæ ad propagandum alicujus rei ſimile, in quatuor elementa deſtrui abhorret & fugit.

Concedo quidem nullam materiam poſſe ità deſtrui, quin ſub aliqua maneat forma: quòd autem materia ſive in tria, ſive quatuor principia deſtructa, poſſit eſſe apta ad propagandum ſuum ſimile, negatur omninò; quia Natura

per

per tale contrarium impeditur, quò minùs motum ſuum ordinarium peragere queat: non enim data cauſa efficiente ad ſuum finem diſpoſita, non datur effectus deſideratus, ſed planè alienus: quia ſemper ſecundum materiæ diſpoſitionem agit forma. Quare hæc tibi ſit univerſalis regula: In quavis generatione ordinaria, necesſariò reſpondent ultima primis: Nam omnis finis teſtatur de ſuo principio, & è contrà omne principium reſpicit ſuum finem.

Concedo etiam, quòd Natura in vegetabilibus materiam corrumpit, ſed corrumpendo diſponit ad potentiam formæ receptivam, & cœleſtium influxuum, quæ tandem ſuô determinatô tempore rurſùm prorumpit in actum & formam ſpecificam: quod ex tua deſtructione fieri minimè poteſt: quamobrem etiam remota eſt, & operi noſtro incongrua.

Si ergò intendis corpus tuum ſpecificum propagare, ne deſtruas formam phyſicam: hac enim deſtructa, non eſt

artis iterùm eandem reſtituere. A vivo & corporeo incipe, incorporea non generant, mortua etiam nihil agunt. Exemplô: Si vivus homo cum viva muliere miſceatur, fit inde generatio, non autem ex mortuo viro cum viva muliere. Jungatur viva cum vivo, tùm demùm fœmina virum ſolvit, & iſte mulierem fœcundam reddit. Hinc ſubjungis duas quæſtiones, quarum prima hæc eſt:

Si vegetabilia ſunt ab opere philoſophico rejicienda, cur ergò philoſophi materiam ſuam appellant vegetabilem?

Reſpondeo: Quòd philoſophi materiam ſuam appellant vegetabilem, id faciunt non quòd re ipſa ſit res aliqua vegetabilis ſeu plantalis, ſed tantùm quia in ipſa vegetatur & creſcit gradus ſapientiæ noſtrę: tùm etiam quia non aliter quàm naturalia vegetabilia ſuô tempore varios flores proferunt, materia lapidis colores pulcherrimos palàm facit in florum ſuorum productione.

O quàm multi inter modernos laborantes

rantes philoſophi circa hoc noſtrum vegetabile decepti ſunt, & adhuc decipiuntur, erraverunt, & adhuc errant; quia ſperant fructus colligere antequam ſint maturi, & metere ante meſſem: non attendentes, quòd lapis noſter clamet asſiduè: Defende me ab omnibus inimicis meis, Da mihi robur & vires, ut triũphare, & in exaltatione méa jubilare posſim. Hic, ô fili ſapientiæ, ſiſte paulisper gradum, & contemplare diligenter omnia quæ dicta ſunt, & impoſterùm dicentur, ut videas, quis ſit erroris tui cauſa? An mea fidelitas in dicendo? An tua impatientia in continuando? Intelligenti dixi omnia: tu autem evigila, aperi oculos intellectus, animumq́; adverte ad ſapientiam noſtram, quam non mei, ſed ſolùm tui gratia, per charitatem Chriſtianam, qua tibi devinctus ſum, tàm fideliter conſcribere ſuſcepi. Si nondũ intellexeris, quę te intelligere oportet, ad hanc philoſophiã ſciendam non electũ te putes, aut ex præſcientia divina electionis horam tui nondum advenisſe. Ad

alteram quæſtionem veniendum eſt, quæ ſic habet:

Qui Solis deſtructionem ignorat, conſtructionem ejus ex curſu Naturæ neceſſariò habet ignorare.

Reſpondeo: Si hoc dictum ſumatur philoſophicè, uti hic debet, maximè verum eſt, imò ac neceſſarium: Velut enim homo ante multiplicationem inſtar unitatis eſt, & res quaſi mortua, in qua unitate ſi maneret, non ſcilicet commiſcendo ſe cum ſuo compari, genus ſuum ulteriùs propagare non poſſet: ITA quoque metalla, quandiu manent inſoluta, mortua ſunt; & ſic inde lapidem fieri, eſt impoſſibile: quia tali via præcluditur omnis generationis motus: Unde neceſſariò conſequitur intentionis nullitas: Non enim præeunte verô principiô, non ſequitur verus finis.

Sin verò præcitatum dictum interpretandum putas ad tria vel quatuor principia, falſa eſt tua opinio; ac proinde tibi

tibi reſpondendum idem quod in ſuperioribus, aurum ſcilicet non ulteriùs esſe reſolvendum, quàm in ſulphur & mercurium, quæ materia, lapidis eſt prima, proxima & immediata. Verùm hæc materia haberi non poteſt, niſi per ſolutionem noſtram: Dico per ſolutionem noſtram: quia quilibet vulgaris chymicus imaginatur ſibi propriam per aquas fortes: quùm tamen non niſi unica tantùm ſit ſecundum exigentiam Naturæ vera, nẽpe illa, quę fit cum aqua noſtra; & quicunque aliter metalla ſolvere conatur, non philoſophus, ſed potiùs ſophiſta eſt, & Naturæ vaſtator.

Non quidem repugnabo, quin auri deſtructio corpori humano ad medicinam maximè commodare posſit: Hoc enim à veteribus philoſophis ſæpè uſu comprobatum eſt, & adhuc hodiernô die à quibusdam neotericis cum maxima laude comprobatur, imprimis verò à Clarisſimo viro domino Franciſco Antonio Anglo Med. D. Londinenſe eximio, qui aurum deſtruere poteſt in

 ſub-

ſubſtantiam melleam, & medicinalem, potabilem, & ſolubilem in omni liquore, atque inde miranda in ægro corpore humano præſtare, quemadmodum ejus ſcripta, atque etiam plurimorum & ſupremæ & infimæ ſortis hominum teſtimonia declarant, & maxima commendatione celebrant: Sed illa deſtructio ad magiſterium noſtrum philoſophicum eſt impertinens: Natura enim hac via minimè diſtrahi vult, nec ſeparari humanis disjunctionibus, uti per ſummè gradatam esſentiam vini, vel ſpiritum ſalis, aut id genus alia: ſola ipſa novit ſuas operationes absque ullo corrumpentium adminiculo: tùm quia nulla deſtructio in totum eſt ſemen; nec propterea illius quantitas plus virtutis ad generandum ſuum ſimile acquiſivit, quàm etiã anteà quùm adhuc esſet in ſua ſoliditate corporali; Unde tantùm valet in una forma, quàm in alia; quod non minùs contra Naturam, quæ non deſtrui, minùs pejorari, ſed ſemper promoveri ac meliorari appetit, pugnat, quàm etiam inu-

inutilis illa deſtructio, quæ ſine aquarum heterogenearum violentia fieri non poteſt.

Et quò magis veritas opinionem tuam confutet, & irritam oſtendat, conſidera τὰς τῆς φύσεως ἀρχὰς ἐν ἑαυτῷ, & mox invenies, quod Natura generando hominem, non convertat marem & fœminam in totum ſemen, vel in ſimile quippiam totum: Hoc enim esſet formam humanam deſtruere, ità ut non ampliùs apparerent homines; unde per conſequens numerus hominum nunquam multiplicaretur, quod abſurdum esſet, & contra Sapientisſimi Creatoris multiplicationis benedictionem: Quamvis enim ambo corpora humana ad procreandum ſuum ſimile coëant, nullum tamen eorum deſtruitur, ità ut non ampliùs appareat forma hominis, ſed utrũque corpus ſimul; ſcilicet tàm ſolvens fœmininũ, quàm ſolutum maſculinum permanet in ſua priori ſpecie & forma abſque ulla ſui corruptione ſeu deſtructione, niſi morte perimantur.

Hinc

Hinc etiam dicit Comes Treviſanus: Fatui ex minoribus mineralibus extrahunt aquas corroſivas, in quas ponunt ſpecies metallorum, & eas corrodunt: putantes proptereà illas ſolutas eſſe ſolutione naturali, quod falſum eſt: quia vera ſolutio philosophica requirit permanentiam ſimul; ſcilicet ſolventis & ſoluti.

Dionyſius Zacharius: Falſæ ſunt igitur operantum hujuſce temporis elementorum ſeparationes ſophiſticæ in ſcriptis ejusmodi philoſophorum omnium pesſimè fundatæ, qui vetant expresſè deſtructionem ſimplicium in ſuis præparationibus.

Michael Sedinvogius: Non totum granum vel corpus vertitur in ſemen, ſed tantùm in toto corpore hoſpitatur ſcintilla aliqua necesſaria, quæ à ſuo corpore cuſtoditur ab omni excesſivo calore & frigore: Si habes aures & ſenſus, hic animadverte, & ſecurus eris non tantùm ab illis, qui locum ſeminis ignorant, totumque granum in ſemen redu-

cere

cere nituntur, verùm etiam ab his omnibus, qui in ſolutione metallorum verſantur vana, & metalla per totum ſolvere volunt, ut poſtea ex illorum commixtione mutua novum creent metallum. Hactenùs.

Vides ergò, quòd auri deſtructio viam non ſternat ad ipſum conſtruendum: quia per ſui deſtructionem conſtrui nihil poteſt: ipſo namque mortuo, pariter moritur ejus ſubſtantia, ut ex eo non poſsit ampliùs aliud argentum vivum enaſci, neque metallum. Unde niſi mente quis cœcus fuerit, & planè inops ab ingenio, videbit ſolutionem noſtram non eſſe ſolutionem vulgi, nec deſtructionem noſtram, deſtructionem vulgi, quam hactenùs ſibi vanè perſuaſit. Hinc porrò ſic interrogas:

Eſt ne igitur planè nulla materia in hac arte deſtruenda?

Reſpondeo: Eſt quidem Luna noſtra deſtruenda, ut non ampliùs in id, quod fuit ante deſtructionem, redire valeat: Ve-

Verùm, illa deſtructio non eſt formæ privatio, neq; carentia, ſed occultæ vitæ manifeſtatio, & per conſequens veræ generationis initium. Si hanc noſti deſtructionem, habes ſummum illud arcanum, quod aurum propinquisſimè ſolvit, mortificat, & reſurgere facit in longè ſublimiorem gradum, quàm erat anteà naturaliter; Sed hujus arcani acquiſitio, eſt operatio verè ſupernaturalis: quia certè ad illud conſequendum, utimur planè metaphyſicô mediô, quô corporis phyſici imperfectionem ad veram perfectionem noſtram arceamus: quemadmodum ipſe maxima cum admiratione fateberis, Quùm TIBI HOC ARCANUM ARCANORUM ARCANISSIMUM AUTHENTICE AD OCULUM REVELAVERO: Poſtquam verò ſciveris VERAM NATURAM, quam ſcire te in hac arte convenit, non miraberis ampliùs: quia palàm AGNOSCES, ipſam Naturam omnia ſic operari NECESSARIÒ. Plura dicerem, ſed ne meum propoſitum quoque deſtruatur, ad alia tuæ epiſtolæ capita procedo;

Scri-

Scribis itèm, te poſſe ſolvere metalla ſine igne:

Reſpondeo: Concedo quidem id fieri poſſe per aquas fortes heterogeneas; Quòd autem illa ſolutio ad magiſterium noſtrum ſit inanis, probatur à contrario ſenſu philoſophorum unanimiter asſerentium, nihil ad artis noſtræ principium accedere, quod ſit præparatum artificialiter, ſed ſaltem id, quod jam à Natura ſatis ſufficienter generatum eſt, abſq; ulla pręvia artificiali præparatione: Sicut enim agricola materiæ ſuę principiali ſeu præjacenti nihil addit formæ, nec de ſubſtantia, aut proprio vigore aliquid demit, ſed illam nudè accipit, uti Natura fecit, & arte ſua ſervili juvat, ſerendo videlicet in agrum, cæteraque committendo Naturæ: ITA quoq; verus philoſophus ſaltem adjutor, ſervus, ſeu miniſter Naturæ eſt, non autem materiarũ magiſter, factor, creator, ſeu devaſtator: Nã in omni materia generativa nihil aut addi, aut demi, aut cõmutari debet: NOS n. nec in regno minerali, neq; vegetabili, neque animali ullas un-

unquam materias generativas facere poſſumus, ſola Natura, cui talis poteſtas à Deo commiſſa eſt, ultrò nobis offert: Unde plùs ſatis liquet, OMNEM aquam ſolventem non à Natura generatam, ſed manibus artificialiter præparatam, pertinere immediatè ſub genus aquarum fortium ſeu violentarum; ac proinde ad opus noſtrum prodeſſe omninò nihil: quia Natura ſe rei extraneæ commiſceri nullò modo patitur, ſed ſolùm ſua Natura in ſuo regno lætatur: nec refert, ſive iſtæ tuæ aquæ ſolventes ſint factæ ex minoribus mineralibus, utpute vitriolo, alumine, ſalenitro, ammoniaco, ſtibio, mercurio ſublimato, ſive ex vino, ſive ex vegetabilibus: Nam hæc omnia ſunt extra regnum minerale metallicum pertinentia; ac proinde ad opus noſtrum incongruentia. Atque hæc eſt prima ratio: altera patet itidem per Naturam, quæ nihil producit in actum absque calore.

Quùm igitur ars imitetur Naturam mera veritate, non ſolvit metalla absque

igne,

igne, quemadmodum omnes philoſophi naturales univerſè teſtantur, quando ſic ajuntaut ſimiliter: Solus ignis eſt totum opus, & ars integra, quicquid fit, igne fit, non manu, aut alio quovis artificio: Nam igne ſolo Naturam juvamus, & aliud nihil adferre poſſumus. Nugamenta ſunt igitur, quæ de ſolutione tua profers, & tantùm falſis opinionibus ſuffulta. Si intendis in philoſophia noſtra proficere, omnis tua intentio ſit ſecundum Naturam, aliàs ſemper erras.

Poſſem rationes plures adducere pro tui erroris demonſtratione: Verùm quia illæ iam antè alibi ſatis allatæ ſint ad ſimile propoſitum, illis brevitatis gratia ſuperſedebo: ineptum enim eſt de tàm perſpicua re pluribus verbis diſputare, ne etiam merear accuſari tautologiæ, vel ſuperfluæ repetitionis.

Porrò dicis, materiam lapidis oportere eſſe univerſalem: quùm autem ſola elementa ſint rerum omnium materia univerſalis, concludis materiam lapidis eſſe ex ijs deſumendam, ut ſic tandem quoque lapis ipſe poſſit exiſtere medici-

na univerſalis: Hinc metalla, & omnia reliqua; quæ Natura ad ſuæ perfectionis metam perduxit, appellas particularia, ac proinde ab arte rejicienda, tuamq; hanc ſententiam ſtabilire conatus è magno Doctoris H. K. Amphitheatro, nempe per ruinoſum illud: Catholiciſmus in hac arte requiritur, Particulariſmus eſt ſolœciſmus. Itē ex alio quodā Doctore Medico nomine I. VV. D. cujus quoque verba ſic allegas: Ex his ſolis (ſcilicet ipſis elementis, propriè, naturaliter, & genuinè deſumptis) medicina univerſalis fieri debet: omnia alia, non generales, ſed certas quasdam definitasque ſuæ activitatis ſphæras, ex formis ſuis particularibus ſunt conſequuta.

Reſpondeo: Sanè vulgus, philoſophantium, & imperita multitudo putaret, hoſce Doctores in hoc noſtro philoſophiæ regno dictaturam gerere, nihilq; præter oracula Delphica in theatrum proferre! Verùm, ut videas, omnia eorum de lapide philoſophico ſcripta, ne caſſa quidem nuce, imò ac ne hilô digna eſſe, & tantùm ad σοφὸν φάρμακον. adinventa, deducam te ad jubar veritatis,

tis, eum ob finem inquam, ut certò tibi conſtet, quàm turpiter in principia Naturæ, adeòque omnium verorum philoſophorum placita i[illegible]egerint! Unde eós meritò judica[illegible] principia naturalia in ſeipſis aut ignoraſſe, vel vilipendiſſe; ac propterea longiſſimè remotos fuiſſe ab hac arte: quoniam non habuerunt radicem veram ſuper quam intentionem ſuam fundare debuiſſent.

Scio equidem hoc lumen, quod mox ſubjiciam, multis nimis vile, ſimplexque viſum iri: ſciant autem & illi, quòd ad veram ſapientiam noſtram pervenire non poſſunt, qui falſæ ſuæ ſapientiæ fiducia deſipientes, cerebri ſui ductum ad ſublimia usque ſequuntur. Simplex Naturæ ſimplicitas tutiſſimum eſt veritatis ſigillum. O utinam multis eſſet cynoſura, non dubito, quin vanas ac frivolas phantaſias, quibus aſini inſtar ſunt onerati, omninò ſint depoſituri. Lumen ergò Naturæ, ut paucis me expediam, ita ſonat:

Naturà, ad formandum infantem non à quatuor principiis ſeu elementis, quæ ſunt omnium generabilium materia remota, ſed ab ipſo ſemine, quod eſt materia infanti proxima, orditur: Nam, dum ſperma adhuc in centro ſeu utero elemētorum eſt, Natura inde formā infantis producere non aſtringitur, ſed quandiu ſunt quatuor elementa, & non ſemen humanum, tandiu Natura poteſt ex ijsdem æquè facilè producere arborem quàm infantem, tàm citò vaccam, quàm formicam, aut immediatè aliud quippiam ab infante differens: quia omnia corpora ex quatuor principiis ſeu elementis primordium traxerunt.

Atque hoc Naturæ lumen adeò clarum eſt, ut à nemine, etiam ſcrupuloſiſſimo, non minùs, quàm bis quatuor eſſe octo, negari poſſit.

Quùm itaque ad infallibilem Naturę viam procedere, & nequicquam ex illa excedere jubeamur, luce meridiana clariùs eſt, materiam lapidis nullo modo in elementis quærendam, nec proinde

re-

remotiorem eſſe quàm Mercurium & Sulphur, quod eſt ſemẽ, ſeu materia prima lapidi proxima, ſeu propinquisſima: Unde clarum eſt, elementa noſtra, non esſe elementa vulgi: Nam ubi dicitur, lapis noſter eſt ex quatuor elementis, hoc non eſt per intellectũ literalẽ, quòd ſit terra, nec quòd ſit aqua, nec aer, nec ignis, ſed ſolummodò eſt una natura, quæ continet in ſe de natura & proprietate elementorum.

Lapis ergò ipſe, quanquam ſit medicina univerſalis, eò quòd omnia corpora, tàm metallica, quàm humana in ſupremum ſanitatis gradum collocat, non tamen propterea ſequitur, ipſius materiam initialem etiam oportere esſe univerſalem ex quatuor elementis deſumendam: Sicut enim Natura ad generandum infantem non tendit retrocedere ad quatuor elementa, utpotè materiam omnium remotisſimam, ſed continuò ab ipſo ſemine, tanquam materia infanti proxima appropinquare ad terminum infantis, ITA & ars noſtra

non à quatuor elementis, ſed ab ipſo ſemine jam olim à principio per Naturam è ſinu elementorum procreato incipit: quemadmodum pius Naturæ conſultus Bernardus Comes Treviſanus, totô librô ſecundô, & mei nominis probus Michael Tractatu quartô rectisſimè docent. Et hoc ipſum ſemen appellamus materiam ſecundam, reſpectu quatuor elementorum, quę ſunt omnium rerum materia prima. Vocamus quoque ſecundam, ratione ſpermatici corporis, è quo ſemen proximè venit: Plerunque tamen materiam primam, cauſa formæ proximè futuræ, ſeu inde naſcendæ.

Ex præmisſis ergò contra Naturæ viam, curſum atque ordinem, adeoq; omnium verorum philoſophorum leges peccant, qui putant, aut aliis falsò intrudunt, materiam lapidis in quatuor elementis, omnium rerum materia remotisſima quærendam eſſe, non conſiderantes, quod è quatuor elementis nulla à nobis materia, quæ ſit ad generationem

nem utilis, creari posſit: SOLA Natura nobis omnia ſigillatim, ex ſuo quodque ſemine, per ſpecies varias, formasque proprias ob oculos ponit, inque manus porrigit, adeoq; ſufficienter à ſe creata, ut minimè ſit opus, ullam unquam materiam initialem ad noſtrum propoſitum aliunde quopiam præparare, ac arte conficere.

Materia igitur lapidis debet eſſe opus, quod Natura peperit, non ars: Poteſtas enim creandi materiam generativam è quatuor elementis in Deo eſt, & ei ſoli tribuitur: Nam aliàs ars noſtra non eſſet naturális, ſed ſupernaturalis: quia ſibi-ipſi conaretur fabricare materiam generativam, quod eſt impoſſibile, &, vti jam aliquoties dixi, ſolius Dei proprium: Res divinæ enim, quùm ſint ſupra Naturam, ſunt etiam ſupra philoſophiam; ac proinde huc non applicabiles.

Sufficiat ergò ſaltem juvari ac promoveri illud, quod eſt, & tamen arte nullâ factum. Nā ſicut agricola granū, quod

ad ſationem ſit utile,creare neſcit: ITA nobis materiam ad artem noſtram utilẽ, facere per aliquod artificium, impoſſibile eſt; & ſi quis ſe id facere poſſe gloriatur, vanus eſt, & mendax: Natura hoc ſolummodò facit.

Falluntur ergò denuò, & cæco ducuntur errore, qui ingenia ſua ad quatuor elementa convertunt, è quibus nemo, niſi ſolus Deus per Naturam materiarum eſt Creator atque Porrector.

Quod igitur creatum eſt, creatore non indiget: Neque etiam patres noſtri prædeceſſores de hujusmodi rerum ſubtilitatibus, quæ vel minimè, aut valde difficulter in effectum duci queunt, quicquam ſcivere: quia nil aliud conſiderarunt, ac ſequuti ſunt, quàm Naturæ ſimplicitatem, ejusque poſſibilitatem.

Propterea etiam ipſe philoſophorum pater Hermes Triſmegiſtus in ſua Tabula Smaragdina, quam nobis in perpetuum rei monumentum reliquit, nec Tre-

Treviſanus ipſe, nec frater Baſilius Valentinus, neque Michael Sedinvogius ullam unquàm fecerunt mentionem, quod materia lapidis debeat ex quatuor elementis deſumi, ſed illorum unanimi ore ac tenore perpetua ſententia eſt, atque manet, materiam lapidis non remotiùs eſſe quærendam, quàm in ipſis metallis oculis noſtris perfectè obverſantibus: Nam intentio noſtræ mutationis eſt, incipere ubi Natura finivit, juxta Aphoriſmum: Naturę finis, hominis eſt rei incipiendæ principium. Vel: Ubi Natura deſinit, ibidem ars hominis incipit; nam illius ultima materia, hominis eſt prima.

Licet ergò interdum legatur: Converte elementa unum in aliud, & invenies quod quæris; exinde tamen philoſophorum ſenſus non eſt, quòd materia lapidis quæri debeat in iſtis elementis, quæ nempe omnia ſublunaria fovent atque fœcundant, ſed quia in omni compoſito, ſeu creato naturali, & ſic per conſequentiam in quovis metallo, qua-

tuor elementa inſunt, quorum ſemper unum aliud non minùs, quàm in ipſo macrocoſmo qualitate, adeoq; dignitate excedit, eorum mens & ſententia eſt, ut in ipſa aqua noſtra ſeparemus ſecundum ipſiſſimam Naturam in minera, ignem à terra, hoc eſt ſubtile à ſpiſſo, purum ab impuro, donec tandem nil remaneat, quàm ignis omnium elementorum elementum ſupremum ac ſubtilisſimum: quia ſola ſiccitas, ſeu ignis, qui eſt ſpirit⁹ ſubtilisſimus, ac proinde penetrantisſimus, tingit, & nil aliud: Nullum enim corpus penetrare poteſt aliud corpus, niſi priùs factum ſit ſpiritus.

Atque hæc eſt purgatio illa, & converſio elementorum, naturarum, ſeu complexionũ, de qua philoſophi tàm crebrò cantare ſolent. Quomodo autem illa ipſa elementorum ſeparatio naturaliter fiat, hoc ipſum philoſophi uti ſummum ſecretum, anxiô ſemper ac ſollicitô ſilentiô involutũ texerunt, eamque ob cauſam ſcrutatores artis ad

ſo-

ſolam Naturam ablegatunt.

Ego quidem ad conſequendum illud QVOMODO, ſi neſcirem, Athenas proficiſcerer, nec ulla unquam negotia me ab inſtituto tardarent. O quàm libenter huc poſuiſſem apertô ſermone illud QVOMODO; ſed propter illos, quorum animus eſt, hac arte ad talia uti, quæ Deus prohibet, & graviter punire minatur, imprimitur ori meo ſigillum, donec CONGREDIAMUR. Interim redeamus ad propoſitum: ☿

Mirabor nunc, quibus fundamentis illum poſſis dicere fœlicem, qui materiam univerſalem ex elementis habuerit, quùm tamen è ſuperioribus pateat omninò contrarium: Velle enim ex quatuor elementis creare materiam, non hominis, ſed uti jam aliquoties in anterioribus dixi, DEI omnipotentis proprium eſt. Conari item materiam jam ſatis à Natura creatam, in quatuor elementa reducere, & ſic elementis, quod priùs ha-

habuerunt, reddere, elementorum eſt improprium: illa enim, quùm ſint ipſa rerum omnium principia, non accipiunt, ſed dant alijs: ideoq; etiam neceſſario eorum eſt actio, non paſſio. Nequaquam etiam ars poteſt partes materiæ noſtræ connexas in generatione ità ſeparare, quòd ſimpliciter in elementa, quæ fuerunt, transmutentur, quùm prima natura unam qualitatem mutaverit in aliam.

Hinc etiam Natura in ordinaria rerum generatione non tendit regredi ad remota, ſed, uti dixi, continuò à proprio ſemine, utpotè à materia rei naſcendæ proxima, appropinquare ad terminum.

Et ſi rectè conſulueris pium Bernardum Treviſanum parte ſecunda, ubi nempe de quatuor elementis diſputat, invenies te ab hujuſmodi vanis laboribus avocari quàm probiſſimè.

Haud ergò usquequaquè ex remota cauſa materiam tuam petas, ſed unicè cogita, ut ex propinqua habeas materiā

pro-

proximam, nempe ſemen, cujus virtute ſola fiunt omnia: Remotum enim appellatur, quod à cauſa ultrà, quàm ſatis eſt, remota petitur, quis planiùs loqui posſet?

Sed objicis, materiam lapidis eſſe primum ac principale totius magiſterij principium: unde porrò ſic argumentaris: Si haberem veram materiam, haberem etiam verum laborandi modum.

Reſpondeo: Verum infers, quantum ad materiam, verum, quantum ad Praxin, incerta eſt tua aſſertio: Fieri enim poteſt, imò ſæpè contingit, ut quis habeat materiam veram, at propterea non ſequitur, eum ſtatim etiam habere ipſum lapidis componendi proceſſum, nisi item per Naturæ lumen prævideat viam, qua ulteriùs ſit progrediendum.

Potuiſſem oſtendiſſe locum, ubi pius Comes Treviſanus ipſe in materia quidem debita laboravit, ſed nihilominùs erravit: Unde autem error ille extiterit, facilè eſt conjicere, nempe quia tunc

tunc temporis nondum habebat lumen ſeu cognitionem Naturæ : poſtquam autem illud habuit, tutus fuit ab omni errore, NEC POTUIT impoſterùm à Barbarino induci, ut aliam ſequeretur viam.

Hinc ergò collige, ſi errari poteſt in materia debita, quantò magis & tu prorſus incasſum laborabis, quùm materia tua ſive ex elementis deducta, ſive in elementa reducta, nullam omninò habeat cum metallis homogeneitatem, ſed potiùs corrupta ſeu deſtructa maneat, quàm ut ulla unquam tinctura inde fieri, aut ſperari queat. Hinc canere triumphum ante victoriam videntur ; qui gloriosè concludentes dicunt: Ego materiã novi, manibus tractavi, oculisque proprijs vidi, Ergò & in ipſa lapidis philoſophici Praxi errare non poſſum. Quod ſanè eſt ſeipſum fallere multùm : plùs enim, crede mihi, ad choream requiritur, quàm par calceorũ. Sicuti ipſe agnoſces & fateberis, quũ arcanũ tibi revelavero ad ungvem.

Ha-

Hactenùs ſuſtinuimus materiam la-
is philoſophici ad tingenda metalla,
a eſſe deſumendam ex quatuor ele-
ntis, utpotè materia omnium rerum
iuc hyleali, ac proinde remotiſſima,
ex ipſis metallicis coràm oculis no-
s perfectis corporibus. Jam ad ly-
m examinemus, An illa materia hy-
is, quam tibi è quatuor elementis
imendam falsò perſuaderi ſiveras,
veniat cum ſententia, ubi ſic ſcri-

*apis perfectus per ſe non tingit, niſi pri-
ngatur ipſe: poſtquàm verò ipſe priùs tin-
ſive fermentatus fuerit, vel aurô vel
ntô vulgi, ſecundùm quòd ejus conditio
irit, & ſic ulteriùs præparatus fuerit, tunc
finitum eum tingere poſſe: philoſophi con-
nt.*

eſpondeo: Equidem nunc tua mihi
entia placet: interim verò miror,
uidem valdè, cur à tua materia
ali auſis jam volare in campum
allorum? In principio enim
rejicis

rejicis metalla: quia tibi ex Amphitheatro non ſatis univerſalia ſunt, in fine verò admittis. Annon hoc eſt una manu dare, altera datum reſumere? Annon hoc eſt affirmare & negare ſimul? Annon obſecro, hoc eſt duo contradictoria uni eidemque ſubjecto tribuere? Dic porrò; Annon hoc eſt negare principium, & concedere finem? Qui verò negat principium, negat quoq; finem: quia quicquid fini ineſt, ad principium ceu ad primam radicem eſt referẽdum: Principium enim & finis ſunt relata, & relatorum uno negato, negatur & alterum: quia principiũ & finis habent mutuam dependentiam ſeu identitatis reciprocationem: Dependentiæ autem ratio neceſſariò requirit materiæ homogeneitatem; alioquin dependens non eſſet dependens.

Nonne quoque aliud & aliud præſupponit alietatem eſſentiæ? Atqui elementa, quæ ex labili tuorum Doctorum fundamento ſtatuis materiam lapidis univerſalem, ſunt aliud, aliud etiam eſt me-

tallum; quod concedis in fine accidum. Ergò elementa & metallum ſupponunt alietatem eſſentiæ; & per ſequens nulla eſt identitas ſeu hogeneitas inter elemẽta & metallum; de porrò conſectarium, materiam m ex quatuor elementis ſoph ſtica; nullô modô commiſceri poſſe cum tallis.

Quòd ſi fortè me non ſatis percipe- conſidera Aphoriſmos ſequentes, & rtè errorem tuum videre & agnoſce- poteris!

Nulla ſpecies eſt commiſcibilis cum materia, quæ eſt alterius ſpeciei. Naa explodit ac deteſtatur omnem maæ extraneitatem. Natura naturam arat, & ſola ſua natura lætatur. Natunon emendatur, non meliotatur, multiplicatur, adeoq; nec in alienas aſmutatur naturas, niſi ſua propria ura. Nil convenit rei, niſi quod proquius eſt illi in ſua natura.

Vides ergò nunc maximè, quòd ommixtio per minima, ſeu unio, requi-

I rat

rat materiæ homogeneitatem. At ubi hic materiæ homogeneitas? Nonne materia tua ex quatuor elementis ſophiſticanda, & metallum jam à Natura completum, habent inter ſe pugnantem naturam?

Hinc ergò nunquam gignetur id, quod eſt tuæ intentionis ſcopus, nempe lapis phyſicus ad tingenda metalla: quia oppoſita non dant unam eandemque concluſionem; quorum enim ſubſtantia, naturaque non eſt eadem, eorum actio quoque eadem eſſe nequit: quoniam ſeparatio agentis, & patientis facit neceſſariò, ut non fiat actio & paſſio: Ergò nec generatio, juxta infallibilem Naturæ normam, quam κατὰ πόδα ſequi, nec ab illa ne latum unguiculum recedere jubemur.

Dic amabo te mihi, velle permiſcere metallum cum illo, quod quæſitum eſt extra regnum minerale metallicum; Annon hoc ſit materiam confundere & heterogenea commiſcere?

Id ſa-

d ſanè mihi haud ſecus videtur,
an ſi quis conaretur permiſcere a-
ni cum igne. Si verò nulla natura-
ı unio; unde igitur exiſtet tinctura?
ofectò, qui verſantur circa mate-
n è quatuor elementis extorquen-
ı, & hujusmodi ineptias, non minùs
Naturæ legibus recedere videntur,
m qui ex arbore hominem, ex ho-
e Leonem, formicam; metallum;
aliud quippiam alienius enaſci pu-
!

n ſumma, velle facere metallum ex
cipio; quod non eſt metallum,
n mihi videtur, ac ſi quis faber au-
ıs conaretur ſine igne, auro, vel ar-
to fabricare vaſa aurea vel argentea;
agricola ſine grano & ſemine ſpe-
frumenta. Mi Chriſte, quam
e monſtrum contra Naturæ ad-
ue omnium verorum philoſopho-
, voluntatem, qui unô conſenſu,
que concordia aſſerunt, à metal-
ſe incipiendum, à metallis item
finiendum; Cujus rei manifeſtum

vide exemplum apud devotum illum fratrem Baſilium Valentinum, quondam Benedictini ordinis monachum. ubi materiam ad artis principium ſumendam apertisſimè, imò ac ſincerisſimè monſtrat; & hunc poſteà locum confer & conſidera cum ultima clave, & verum illum eſſe Aphoriſmum deprehendes: In qua materia eſt noſtrum principium, in eadem quoque finis eſt, & vice verſa. In quo quid incipitur, in eo quoque finitur. Nullum initium finitur, niſi in eo, in quo incipit.

Eſt igitur ab uno principium, medium, & finis. Nam ſicut ab homine non niſi homo generatur, & à quovis alio animali ordinario, animal ejuſdem ſpeciei, ſic ab auro, per induſtriam ſagacis artificis, qui ſcit Naturam promovere, generatur aurum; ab argento idipſum; à cupro idem:

Quapropter ex metallis oriuntur tincturæ quævis in ſuo gradu: quia omnis tinctura procedit à ſuo ſimili. Hinc Aphoriſmi: A nullis rebus elici poteſt id,

quod in ipſis non exiſtit. Omnis ſpe-
s in ſua ſpecie, & omne genus in ſuo
ere, & omnis natura in ſua natura
uraliter virtutis efficit augmentum,
ffert fructum juxta naturam ſuam,
on in alia ſibi contraria natura.
Omne individuum multiplicat for-
n ſuæ ſpeciei, & non alterius. Natu-
ſua natura generat proles ſibi ſimi-
Natura ex ſimilibus ſimilia pro-
t. Omne ſimile profert non niſi ſu-
ſimile. Omne genus ad ſuum genus
etibilem habet inclinationem, adeò
ſitatisſimè ſub ſpecie certa coarcte-
ınumquodque, eamque excedere
ıat. Et hoſce Aphoriſmos omnes ac
ılos confirmat præceptum Ariſto-
ın ſecundo libro de Anima, quod
abet: Naturalisſimum, & perfectis-
m opus eſt, generare tale, quale i-
ı eſt: ut planta plantam, Vacca Vac-
. Si ergò quæris medicinam metal-
rantem, de metallis erit ejus ori-
quùm ſpeciès à ſuo genere tinga-

Ita inquam, omne noſtrum propoſitum rationi maximè naturali ſubjacet, nec poteſt aliter probari: quæ enim ſupra Naturæ leges ſunt, non ſunt ex Naturæ legibus judicanda.

Scribis quidem, Comitem Bernardum dicere, materiam lapidis in nullo metallo eſſe quærendam, at malè citaſti locum: ibi enim nequaquam dicit in nullo metallo, ſed dicit: Relinquite metalla ſola. Reſpice locum, ſi aliter inveneris, habebis à me herbam! & in hoc quàm rectiſſimè, ac quidem ſecundum ipſiſſimas Naturæ leges, atque unanimem philoſophorum conſenſum dicit: Sunt enim metalla minimè ſola, ſed eorum ſemper & ubique duo accipienda, quemadmodum ipſe Bernardus alibi ſæpè confirmat, cui planè conſentit totus philosophorum cœtus, quorum exempla huc recenſere nimis foret longum.

Stat igitur immota ſententia, quòd nulla res extranea, quæ non ex metallis compoſita ſeu orta, potens eſt, ipſa metalla

la perficere, ſeu eorum transmutatio-
m facere novam.
Ex hiſce ergò nunc clarè vides, ſu-
m latere ſub verbo UNIVERSALIS; ac
t illud nil aliud ſignificari, quàm ſo-
n materiam metallorum univerſa-
n, nempe Mercurium frigidum &
midum crudum: quemadmodum e-
n elementa ſunt ὕλη, hoc eſt materia
nmunis ſeu univerſalis ad omnia
nerabilia: Ita quoq; Mercurius eſt ὕλη,
c eſt materia communis ſeu univerſa-
ad omnia metalla.
Quamvis autem corpora metallo-
n ex Mercurio procreentur, non ta-
n id de Mercurio vulgi, ſed ſolùm de
rcurio philoſophorum intelligi de-
: Nam, ſi corpus auri ex ſolo Mercu-
vulgi naſceretur, certè tanta eſſet
i, quanta aliorum metallorum co-
; ac proinde eadem auri vilitas, cu-
& aliorum inferiorum metallorum,
od abſurdum eſt, & experientia, cui
n eſt contradicendum, multò aliter
cet.

Digitized by Google

Non ergò inquit, philoſophus mei nominis, ſunt audiendi, qui putant, Mercurium vulgi ſemen eſſe metallorum, & ita corpus locô ſeminis accipiunt, non conſiderantes, quùm nihil ſine ſemine creſcat, quòd & dictus vulgi Mercurius ſuum in ſe habeat ſemen ſeu ignem. Sed ad inſtitutum, unde paulò longiùs receſſiſſe videmur, quàm par eſt, redeamus:

Ambo Doctores ſuam in hac arte inſcitiam ſatis produnt, quando nimirùm metalla à principio artis nulla alia cauſa rejiciunt, quàm quia per Naturam particulariter ad metam ſuam ſunt perducta: quid enim abſurdiùs, quàm concludere: Homo ad maturam ætatem pervenit, Ergò ex illo ulterior propagatio fieri non poteſt Vel: Granum tritici eſt maturum completum & perfectum, Ergò illud ulteriùs multiplicari non poteſt. O ridiculum! O errorem palpabilem! Unde nobis hæc nova concludendi forma? Nonne quodvis generabile poſt ſuam perfectionem producit ſuum ſi-

ıile ? Nonne quantò quid eſt in ſua tura perfectius, tantò aptiùs & fœcundius exiſtit ad generandum? Nonne tura ex homine generat hominem? cane canem? Omne generans requiſiſſe perfectum in ſuo gradu, ad proandum ſuæ naturæ fructum: Nam tè quicquid in perfecto non fuerit unditatis, in imperfectiore quædum non eſt. Quòd autem metalı ſit corpus generans, ita probatur:

Omnis res habens ſemen, eſt corpus erans, ac proinde in ſuo ſemine multicari poteſt: quia omnis multiplicagenerativa fit in ſemine.

Metallum habet ſemen, teſte Natura, omnium philoſophorum unanimi ſenſu: Nihil enim ſupra aut infra am naſcitur, quod non verè ac realiuum in ſe habeat ſemen: ſiquidem omnis ſine ſemine imperfecta, imò tua eſt, ratione compoſiti ex quar elementis.

Ergò metallum eſt corpus generans, roinde porrò in ſuo ſemine multi-

 plicari

plicari poteſt. Nec eò moveor, quod afferts in contrarium: quod enim tu, & alij hujus artis ignari negare conamini, omnes veri philoſophi affirmant: Nam etſi inania ſint corpora metallorum, neque ſibi ſimilia in mineris terræ procreent, attamen Natura duce, arteque miniſtra ſibi ſimilia producere posſunt. Et veluti dicimus, hominem eſſe cauſam efficientem alterius hominis, ſic etiam aurum auri. Hinc pulchrè Augurellus:

Hordea cui cordi demùm ſerit hordea, ne tu
Nunc aliunde pares auri primordia, in auro
Semina ſunt auri, quamvis abſtruſa recedat
Longiùs, & nobis multò quærenda labore.

Ex quibus denuò manifeſtum eſt, metalla reale habere ſemen, ac proinde in tali ſuo ſemine multiplicari poſſe: ita namque Sapientisſimus rerum Creator ſtatuit, quùm diceret: FOETIFICATE, ET AUGESCITE. Hanc benedictionis divinæ fœcunditatem non ſolùm de humano genere propagando pronunciat, ſed & de ſingularum rerum natura, tàm

ſub-

lunarium, quàm ſubterraneorum,
ſque cur id negetur, ratio probabilis
di poteſt.

Quam enim prærogativam in hoc
ndo, inquit philoſophus, res omnes
: metallis haberent? cur hæc ſola per
egationem ſeminis immeritò à ſum-
Creatoris univerſali multiplicatio-
benedictione excluderemus, quam ſa-
literæ affirmant omnibus rebus cre-
ſtatim à condito mundo inditam &
ertitam fuiſſe? Si verò ſemen ha-
t, ecquis tàm fatuus eſt, qui non cre-
, in ſuo ſemine illa poſſe multiplica-
Hactenùs Sedinvogius.

*Hinc quæris obiter, quùm Natura ex aliis
ratis producat ſemen, annon etiam id face-
ueat è metallis?*

Reſpondeo: Etſi omne metallum è
ı Naturæ prodierit, ex illo tamen
tura ſola ſemen producere non po-
, nec etiam meditatur, niſi accedat
uſtria hominis, qui tanquã hujus in-
oris Naturæ cõſtitutus princeps ſua
: adjutrice & impellẽte ſemen è me-
tallis

tallis prolicere, facilè ſolo calore poteſt: Hinc ergò, quùm & arti materias ipſas Natura ſubminiſtret, ipſaq; ars incumbat Naturæ, ſeſeq; illæ juvent, ſibique quodammodo ſubſerviant invicem, poteſt per artis peritiam adjuvante Natura fieri, quòd nunquam fieret ſponte Naturæ.

Scribis porrò ſic: Si modò haberem illam rem, quam philoſophi appellant ſuam aquam ſolventem, ſine dubio facilè tingere poſſem.

Reſpondeo: Quænam ſit vera illa aqua ſolvens, ſatis individuè proditum eſt. Vis audire latiùs? Aqua noſtra ſolvens eſt mineralis, animalis, & vegetabilis. Hinc triplex in nomine, una verò in eſſentia. Quod ſit mineralis, nulla eſt dubitatio: quia non ſolùm in hac arte, ſed & in omni re ordinariè generativa, propinquiora ſemper eligenda ſunt, propter faciliorem, citioremque ſui generationem. Animalis eſt: quia in ſe habet animam ſuam mineralem; alioquin

eſſet

t res mortua, & ſic ad propoſitum
:rum inepta. Quare ſit vegetabilis,
in ſuperioribus.
Iabes ergò iterùm atque iterùm a-
n ſolventem: quod autem ſomnias,
n ſtatim habere potentiam tingen-
inum eſt. Non ſufficit habere fœ-
am, ſed ultra hoc, ut fiat conceptio,
iritur mas: nec ſatis eſt, marem jun-
minæ, ſed vltra hoc, vt fiat prægna-
equiritur ſemen. Et qui vellet asſe-
mulierẽ absq; ſemine viri generare
e, philoſophi non esſet appellatio-
gnus: quia hoc ipſo teſtaretur, ſe i-
are principia naturalia in ſeipſo:
utem ignorat principia, ad finem
sſariò non habet venire: Nam qui
t aut non credit hanc artem à Na-
proficiſci, & ad Naturam referri, is
; artis principium & extremum
t, ac proinde multis erroribus in-
:ur: quia extra Naturam nihil in
rte aut inveniri, aut intelligi, aut
ri poteſt unquam. Verùm ad rem:
to autem, haberes aquam ſolven-
tem,

tem, quid deinceps? An fortè putas imperfectum poſſe perficere aliud imperfectum? minimè omnium. Phyſicum corpus non perficitur niſi à metaphyſico: nullum enim debile ſubvenire poteſt alteri debili, nec opem ferre, quùm neutrum eorum ſit dignius alterô: quia par in parem non habet imperium.

Imò quanquam etiam haberes ſulphur noſtrum vivum, in quo jam eſt ipſa potentia, virtusque tingendi, haud tamen ſtatim poſſes cum eo tingere: Si verò cum fermento ſuo prius fuerit per ſufficientem digeſtionem congelatum in lapidem, qui ob ingentem & exuberantem rubedinem eſſet lucidus niger in fractura, tunc te tingere poſſe in infinitum, nemo philoſophorum negat.

Fatuum igitur eſt, putare materiam noſtrã non præparandam eſſe prius, quã ullam ad tingendum efficaciam habere poſſit: Hoc ipſum docent quotquot ſunt philoſophi naturales in hac arte ſublimati, ſcilicet preparationes eſſe neceſſa-

arias: Eſt enim materia ſine præpa-
one reſpectu lapidis, non niſi res
tua, non conſiſtens in aliqua con-
dantia, quæ perfecta dici poſſet.

ræmiſſam tuam opinionem firmare cona-
a concludendo: Nullum enim eſt dubium,
aqua ſolvens ſtatim exiſtat prompta ad
endum, dummodò vulgariter fuerit à ſor-
s ſuis purgata.

Reſpondeo brevibus: Ex mala re-
intelligentia, mala naſcitur con-
iò, ac proinde error, quem tu
è hic committis enormiter, totaque
Aliam enim purgationem habent
ſapientes, aliudque ſolvens. Aliud
ens inquam; imò quod adhuc eſt
cipale caput, in quo conſiſtit to-
ſcire & ſecretum noſtrum, ac totius
terij noſtri cardo verſatur: quod ſa-
ibi perquàm libenter detegerem: ac
philoſophi hoc ipſum hactenùs
m ſollicitè reticuerunt, ideòq; & e-
n eo revelando hac vice non facilè
pro-

ementum quintum, quod philoſophi
ropterea vocant eſſentiam quintam;
; hoc quidem ex ipſo fonte Naturæ:
uia ſicut omnis forma ſubſtantialis de-
cendit immediatè à re propinqua quin-
a, ita ſimiliter imperfecta metalla nuſ-
uam aliunde perficiuntur, quàm ab ea-
em. Hinc etiam quinta eſſentia voca-
ur mater omnium aliarum formarum:
uòd tanquam mater, quemlibet fœ-
um producit in actum ſpecificum: Et
oc quidem facit tàm ſuprà, quàm in-
ra terram: Veriſſimum enim eſt, quòd
uperius non eſt, niſi ut iſtud, quòd eſt
nferius, & vice verſa, id quod naſcitur
uprà, naſcitur ex eodem fonte ſicut il-
ud, quod infrà in terræ viſceribus.

Verùm, de hac quinta eſſentia dico
lacriter, omnes à principio mundi phi-
oſophos tàm modicum habuiſſe, ut vix
redi poſſit: Quemadmodum enim
emen ad generandum hominem a-
ptum, res eſt ratione ſuorum corporum
valde exigua, ita quoque ſemen no-
ſtrum ſolificum, res eſt reſpectu ſuorum

K cor-

corporum quàm minutisſima: Non tamen propterea terremur vel deſperamus ab arte: Licet enim minimè habeat de materia, maximè tamen habet de forma & virtute; in eo ſcilicet, dum in projectione perfecti lapidis una particula ferè infinitas partes argenti vivi in aurum convertit, quemadmodum paſſim apud philoſophos, & ſuprà in experimento Raymundi clarè videre licet.

Semen iſtud prædictum, ſeu quinta esſentia ſępè appellatur lapis, & quidem rectè: quia jam in ſe tincturam naturaliter continet, & ſic ipſa tinctura eſt, non quidem jam ipſo actu, ſed ſaltem potentialiter: propter hanc ipſam etiam rationem nuncupatur lapis noſter primus: Verùm, quia per ſe motum non habet, niſi perficiatur arte & operatione, vocatur opus particulare: quia per ſe quidem perſiſtit, ſed tantùm particulariter, hoc eſt absque fructu & emolumento.

Ut ergò fiat opus noſtrum univerſa-

, & ſic de potentia ducatur in actum,
men illud auriferum proijciendum eſt
terram ſibi congruentem; aliàs non
enerabit tincturam, quam in ſe proxi-
iè potentialiter continet: quia, ut in ſu-
erioribus demonſtravimus, unum per
nihil generare poteſt, ſed cum alio ſui
mili, quod etiam ex ſeipſo fuerit: Nam
mpoſitio rei, eſt origo & vita: niſi enim
ſſet compoſitio, non produceretur res
i eſſe, quemadmodum univerſa Philo-
ophorum naturalium corona mecum
tetur. Et hoc ipſum eſt, quod Plato-
em movit dicere: Sulphur noſtrum eſt
deò ſpirituale, quòd ipſum non perma-
et in curis Naturæ, niſi occupaveris i-
ſum cum corpore, de quo præparaſti
initio.

*Quæris inſuper, utrùm quinta eſſentia no-
ra ſit præparatu difficilis: Item, An per com-
unem vel deſtillandi vel ſublimandi viam
quiratur?*

Reſpondeo: Talem eſſentiam fa-
ere, non pervenit ad artificem duræ

cervicis, ſed eſt opus ſubtilisſimi, ſagaciſſimiq; ingenij ſimulatque patientisſimi: Nam certè qui ſcit aquam in ignem commutare, maximus eſt mirandorum artifex, & meritò philoſophus in hoc opere divino appellatur: Hoc enim prævio, reliquus labor erit ludus puerorum: quia perficitur tantùm per ſimplicem decoctionem in uno vaſe. Verùm, inter centena millia hominum vix uni datum eſt vincere, hoc eſt ſuum optatum asſequi: Eſt enim natura operantum plerunque ita comparata, ut quidem rem aliquam perſtrenuè aggrediantur, inque ea perdurent menſem unum atque alterum; at poſteà quùm vident deſiderium ſuum non illicò adimpleri; opus dimittunt, putantes eſſe falſum, atque ita rurſum in priſtinos errores, vel fortè pejores relabuntur: Unde philoſophi rectè dixere: Nemo ad hujus divinę artis complementum pertingit, niſi quem Deus ad id ſingulariter deſtinaverit.

Jam, ad alterum tuæ quæſtionis mem-

iembrum ſic reſpondeo: Ex datis ergò des, philoſophos non loqui de illa uinta esſentia, quam chymiſtæ vulga-s extrahere ſolent per communem ęſtillationis vel ſublimationis viam: cito etenim illam quintam esſentiam ti noſtræ nihil conducere, nec aliquid rre momenti: quia extrahunt de eo, in uo non eſt, nec ad requiſita naturæ: ſed e quinta esſentia noſtra, habente in ſe aturas & res omnes, quæ in totius Ma-iſterij noſtri medio & fine ſufficiunt.

Sed cur ea ſæpiùs repeto, quæ luce lariora ſunt philoſophis? Quinta es-ntia noſtra, non eſt quinta esſentia ulgi, nec ſublimatio noſtra, ſublimatio ulgi, nec ſolvens noſtrum, ſolvens vul-i, nec Mercurius noſter, Mercurius ulgi, nec aurum noſtrum, aurum vulgi, ec argentum noſtrum, argentum vul-i: quinimò nec ulla operatio noſtra, o-eratio vulgi, ſed omnia noſtra ſunt me-è philoſophica, & à ſenſu vulgari dis-uncta, quanquam ſuum principium ortiantur à Natura. Qui monitis meis

parere, aut fidem adhibere noluerit, experiatur arte chymica, quam ſi ignoraverit, addiſcat priusquam experiatur: Nam ſi per communem artem deſtillatoriam vel ſublimatoriam talia facere conabitur, oleum & operam perdet. Nemo pro ſuo commodo cogendus eſt, ſed admonendus tantùm, quod ſi contemnat, proprio, non admonentis damnô fecerit.

Hinc in literis proximè ad me ſcriptis ponis quæſtionem, Nùm tibi totus proceſſus dari posſit brevi quôdam ænigmate?

Reſpondeo: Imò posſet, ac quidem multis, varijsque modis: ſed quia ænigmata ſunt plerunquè intellectu, perceptuque difficilia, ac proinde parùm aut nihil profutura, nolo te eorum obſcuritate multùm diſcruciari. Ne autem tibi videar hac in re planè defecisſe, ſequens auſculta:

Æthiopem mortuum, ſanguine Leonis, ut vivat, urito; vivum, da deglutire Leoni: ut Duo fiant unum, genituræ mirandæ.

Ecce

Ecce jam habes quod optas, nempe totam artem ex ordine, & abſque ullo defectu, ſi intelligis, fortunatiſſimus es, ſin minùs, SOLVE JURA, DOCEBO.

Scribis, te multas poſſe præparare aquas ſolventes.

Eſto, ſint aquæ ſolventes; minimè tamen ad noſtram artem ſunt utiles: Nam nulla materia ad noſtrum propoſitum arte facienda eſt, ſed nude accipienda, prout Natura nobis eam porrigit: Exemplô: Ad metendum meſſis tempore triticum, accipimus triticum jam à Natura creatum, cui nil addimus formę, materiæ, nec virtutis, niſi quod illud tanquam materiam noſtram præjacentem, primam ſeu initialem ſeramus in agrum, cætera committimus Naturæ, utpotè quæ habet proprium in ſeipſa motorem ad peragendum omnia ea, quę ad rei naſcendæ maturitatem ſunt neceſſaria. Quàm tu autem in claro hoc Naturæ Sole cali-

ges, ipſe hic, & ſupra è dato ſpeculo videre habes. Sequitur erroris tui alia probatio:

Omnes aquæ, ex quibus metalla non naſcuntur, cum metallis nullam habent cognationem radicalem; nec per conſequens ea ſolvunt ſolutione vera naturali, neque permanent cum ſpecie metallorum in materia & forma, ſed ſimul cum metallis corrumpuntur ac deſtruuntur: quando enim cum ijs metalla ſemel tantùm, nedum pluries potiùs corroſa quàm ſoluta ſunt, ad ſolvenda alia metalla nil ampliùs valent; quia omnem aquæ fortis qualitatem amiſerunt. Metalla item, quantò magis per aquas fortes ità corroduntur, tantò magis à metallica ſpecie alienantur; & ſic neutrum eorum permanet, ſed ambo corrumpuntur. Noſtra autem ſolutio non corrumpit ſeu deſtruit, ſed requirit permanentiam ſimul ſolventis & ſoluti corporis: Certum enim eſt, nullam aquam vera naturali ſolutione ſpeciem metallicam diſſolvere, præter eam, quæ permanet

et cum eis in materia & forma, & uam ipſa metalla poſſunt rurſùm vera aturali congelatione congelare. At ho- um aquis fortibus nil omninò cõpetit.

Quis ergò tàm inconſideratus eſſet, it affirmaret metalla ex aquis fortibus naſci? Si igitur metalla ex iis non naſ- cuntur, manifeſtum eſt, quòd aquæ for- tes non ſint Metallorum radix. Si autem non radix: Ergò nec vera eorum aqua ſolvens: quia Natura omne reſolvit in eo, ex quo priùs produxit, & vice verſa omne componit ex eo, in quod natura- liter ſolvit.

Patet ergò denuò, aquas tuas fa- ctitias ad hanc noſtram artem planè eſſe inutiles, nulliusque valoris. Et ſi er- rorem tuum cupis videre tertiò, en con- ſidera Naturam, & mox elucesſet tibi veritas aphoriſmi, Natura ſe extraneæ ſeu alienæ rei commiſceri nullo modo patitur.

Plures rationes adduci posſent ad tuarum aquarum effuſionem ſeu ab- jectionem, ſed quia moleſta repetitio te-

dium affert, ad alia me converto :

Aſſeris in ſulphure vulgi latere tincturam ad album: nùm autem id poſſit eſſe verum, facilè experieris in ſuperioribus è ſpeculo Naturæ, quò te brevitatis cauſa remitto. Sulphur illud, quod ſæpè citatur à philoſophis, non eſt ſulphur vulgi, ſed philoſophorum, quod ſolùm comparatione quadam dicitur ſulphur, non autem re ipſa: Nam ſulphur vulgi metallis eſt extraneum & contrarium.

Porrò inquis, te poſſe ex auro extrahere ſulphur & Mercurium, ita nempe: ut ſulphur ſeorſim, & Mercurius itidem ſeorſim oculis conſpici & manibus tangi poſſint.

Reſpondeo: Concedo, philoſophorum ſententia eſt, atque manet, ut metalla reſolvantur in Sulphur & Mercurium, at non ut illa reſolutio fiat particulatim, ita ut Sulphur & Mercurius ſeparatim, veluti corpus quoddam, quod in ſua tria principia vulgi, nempe in viſibile ſal, in viſibile ſulphur, & in viſibilem Mercurium reſolutum eſſet, oculis

oculis videri, aut manibus tangi poſſint, ſed conjunctim: quia ſulphur noſtrũ, ut rectè inquit Treviſanus, nequaquam eſt res remota, aut ſeparata à ſubſtãtia Mercurij, & è contrà: Ergò unum & idem ſunt re & nomine, hoc eſt, Sulphur eſt Mercurius, & è converſo Mercurius eſt Sulphur; & hoc ipſum ſulphur nil aliud eſt, quàm purus ignis in Mercurio, ac proinde vera illa materia, quæ ad totum noſtrum ſpagyrium complendum ſufficit.

Scribis quoq́, te tamen ex fratre Baſilio Valentino intelligere, quòd metalla omninò ſint reſolvenda in tria principia, utputà in Sal, Sulphur, & Mercurium, nempe ita ut quodlibet diviſim conſpiciatur.

Reſpondeo: Multa ad hoc reſpondere, planè eſt ſuperfluum: in anterioribus enim abundè ſatis docuiſſe videmur, metalla eſſe quidem reſolvenda, at nullô modô ſecundum ſuam formam metallicam deſtruenda: quamprimùm enim forma ſua ſpoliata fuerint, arcanô

pari-

pariter & viribus ſuis carere, neceſſum eſt. Et ſi ipſum Baſilium rectè inſpicias, videbis apertè ipſius mentem non eſſe, ut metalla reſolvantur in tria illa principia, quæ vulgus laborantium exiſtimat, ſed in tria principia PHILOSOPHORUM, quæ nempe tria ſunt nomine, re autem non niſi ſubſtantia una, ſeu res una. Et quò firmiùs hanc philoſophi intentionem tibi approbemus, ut ejus veritati certitudinique meliùs aſſentias, Alphidium auſculta, quando ſic inquit: Sal non eſt niſi ignis, nec ignis niſi ſulphur, nec ſulphur niſi argentum noſtrum vivum, reductum in pretioſam ſubſtantiam cœleſtem incorruptibilem, quam nos vocamus lapidem noſtrum. Tuam quoque opinionem funditùs evertit Treviſanus per hanc legem: Opus noſtrum non fit, niſi ex duabus materijs, non videntur, nec tanguntur, nec intrant plures, quàm duæ, nec in magiſterij noſtri principium, neque médium, neque finem. Item mei nominis philoſophus, quùm in ſuorum Tractatuum e-

pilogo

logo ſic ait: Si in tertia materia operatus fueris, nihil efficies.

Alia probatio: Audiſti quòd Natura, & non ars porrigat materiam; cui, uti ſæpiùs dixi, nil addimus formæ, materię, neque virtutis, imò non ſolùm in hac arte, ſed & in omni re nihil poſſumus, quàm materiam à Natura creatam juvare, & hoc non alio medio, quàm ſolo igne ſeu calore, eoque non violento.

Atqui hæc tuà ſolutio in tria, vel quatuor principia ſine magnà ignis, aliarumque rerum heterogenearum ad veram artem non requiſitarum violentià fieri non poteſt, quod omninò pugnat contra Naturam, quę nil coactè, ſed ſuaviter operatur; idque abſque ullius unquam rei extraneæ admixtione. Quamobrem denuò planum eſt, ſolutionem tuam ad artem noſtram nullius eſſe valoris.

Narras item, te aliquando vidiſſe pulverem rubrum, à quodam philoſopho fidenter aſſerente, pulverem illum eſſe verum Mercurium philoſophorum.

Re-

Reſpondeo: Mirum profectò cur hominem hunc auſis appellare philoſophum, quùm tamen ex ipſius aſſertione appareat, eum in lectione philoſophorum parùm eſſe verſatum, minùs in Naturæ cognitione: Ut enim ſemen humanum non eſt res rubra in apparitione, ſed alba in ſpecie lactis, ſic Mercurius philoſophorum non eſt pulvis quidam ruber, ut pleriq; putant, ſed inſtar aquæ liquor quidam albus in aſpectu, importans rubificandi potentiam cum effectu. Hinc illa rubedo in Mercurio philoſophorum occulta, & non niſi mente, ac imaginatione philoſophi viſa, tandem ipſo effectu manifeſtatur, ſecundum dictum philoſophi: Manifeſtum occultatur, & occultum manifeſtatur. Tantùm de colore & forma Mercurij philoſophorum impræſentiarum dixiſſe ſufficiat: Nunc animus & ordo me jubent reſpondere ad QVÆSTIONES, quas mihi proponis in modum ſequentem:

1 *Quonam tempore magiſterium ſit inchoandum?*

2 *Quantum temporis ad totius magiſterij complementum requiratur?*

3 *Quæ ſit ubiq; materiarum adinvicem proportio?*

4 *Quantum materiæ vaſi immittēdum?*

5 *Quot requirantur vaſa, quæ eorum forma?*

6 *Qualis debeat eſſe ignis, ejusq; gradus?*

7 *An conſpiciantur colores, qui præcipui, quid ſinguli denotent?*

8 *Qui hanc artem perfecerit, quid præſtare valeat?*

9 *Quando lapis exiſtat medicina pro corpore humano, An ſit medicina univerſalis quemadmodum philoſophi loquuntur?*

10 *An lapis perfectus poſſit adhuc magis augeri in virtute activa, & non tingere absque tali prævia multiplicatione?*

11 *Quid multiplicatus, & fermentatus operetur?*

12 *Lapidem fermentare; quare appelletur opus trium dierum, nùm neceſſum ſit eum fermentari?*

13 Vtrum

13 *Vtrum lapis philoſophicus ſit pulvis, quomodo appareat in aſpectu?*

14. *Quomodo intelligendum ſit hoc dictum: ſpiritus corpus exſiccat, & à corpore exſiccatur?*

15 *Quare lapis dicatur corpus, & etiam quandoque ſpiritus?*

Ad primam quæſtionem ſic reſpondeo: Dionyſius Zacharius, qui fuit quàm curioſisſimus Naturæ ſequutor, cœpit laborare altera die paſchatis: quia Natura circa id temporis omnia quaſi dormientia in actum vegetiorem excitat: Certum enim eſt, quòd omnia eô ferè tempore ſuis quodque naturalibus deſideriis angi incipiant. Quòd ſi ergò omnia habes, quę neceſſaria ſunt, facilè hũc philoſophum imitari poteris: quia nec ratio ſana disſuadet, nec posſibilitati Naturæ contrarium eſt. Interim tamen etiam inficias ire nolim, hoc opus non omni tempore fieri poſſe: Superfluum enim eſt obſervare aſpectus, mala ſive bona tempora, diem aut horam; hujus vel alterius planetæ ſtatum proſperum,

aut infœlicem, quæ nec juvare poſſunt in hac arte naturali, nocere-vè multò minùs. Si verum alioqui proceſſum, aut poſſibilem habeas, operare quùm libuerit; modò non ex teipſo, vel tuis operationib. & intellectu ſit aliquis defectus, planetæ, ſydera-vè cœleſtia tibi non officient in hoc opere: quia nec à cœlo toto, nec à peculiari aliquo aſtro procreatur, ſed cauſam ſuam generantem habet à materia proxima, in qua eſt ſuus proprius vigor vegetans: Videmus enim Naturam generare hominem omni tempore abſque conſideratione corporum, figurarum, & imaginum cœleſtium. Quamobrem iterùm dico ſi in hoc magiſterio omnia requiſita rectè concurrant, introducetur forma, ſecundum meritum materiæ, abſque conſideratione in hoc aliqua.

Hinc ergò non rectè faciunt, qui in ſuis ſcriptis docent, lapidem philoſophicum fieri non poſſe, niſi in certa ac peculiari aliqua planetarum conjunctione: Nam hòc pactô non ſolùm nul-

lum faciunt fructum, verùm etiam rebus ipſis,quæ aliàs (incipientibus) ſatis obſcuræ ſunt, majorem inducunt caliginem.Sed multi multa docent,quæ ipſi ignorant,nec in actum ducere queunt, & plerunq; qui ab aliis ſunt ſeducti,errorem, quô infecti ſunt, non ſibi ſervant, ſed al os etiam ſecum ſeducere ſtudent, dum libros in lucem emittere non verentur,quùm tamen nihil minùs, quàm hanc philoſophiam intelligant. Præſtaret autem calamum cohibere, quàm ita ſermonem ſuum ad proximi damnum formare; eſt enim enormiter delinquere contra præceptum ſecundæ tabulæ, quod vult ut diligamus proximum ſicut nos ipſos, non autem inani ſermone illudamus : Nam qui nemini vult, aut poteſt prodesſe, nemini etiam debet obesſe.

Ad ſecundam quæſtionem : philoſophi inquiunt, nonaginta dierum & noctium ſpatiô compleri opus ad rubrum, poſt veram dealbationem noſtram,quod verum eſt, modò cautè regatur

tur ignis. Quùm ergò tēpus perfectionis totius lapidis ſit ad minimùm annus unus, quemadmodum omnes philoſophi fatētur apertè, facilè eſt calculare, quantum temporis poſtuletur ad opus dealbationis, nimirùm 175. dies, vel circiter. Treviſanus in ſua parabola ſuperaddidit dies ſeptem: quia in hoc opere non poteſt asſignari tempus determinatum ortui metaphyſicæ primogenituræ niſi ſecundum philoſophi ingenioſam praxeôs diſpoſitionem.

NB. *In priori æditione pag 64. l 18. numerus 280. debet eſſe 90. Error extitit propter tùm temporis tumultuariam inter alia negotia deſcriptionem.*

Ad tertiam quæſtionem: Debita proportio ſervanda eſt: Nam ſi nimiũ ſeminis proiiciatur in agrum, ſuffocabitur, ut non posſit ſequi fructus: ſi minùs, lolium ejus locô ſuccreſcet. Proinde quantum unius & alterius ſit accipiendum docebo, ne ob ejus proportionis ignorantiã totũ deſtruatur opus. Sumatur itaq; pars una terrę ad tres aquę partes, vel ſeptem aeris ad duas ignis, & nõ errabitur, quinimò ad optatum finem opus perducetur

hac proportione , modò reliqua ritè moderentur. Quamvis autem proportio aquæ ad unam partem terræ debeat eſſe tripla, vel ad aeris ſeptem venire duo ignis, niſi tamen in prima operatione ſcias proportionare naturam genrativam ad quantitatem Lunæ decreſcentis, nihil omninò efficies.

Poteſt tamen etiam ſumi pars una ſeminis ad duas terræ partes, vel tres ſeminis ad quatuor terræ, puta in lapidis decoctione.

Ad quartam quæſtionem: Si ultra duas uncias vaſi immiſeris, fruſtrà laborabis.

Ad quintam quæſtionem: Vaſculum unum ſufficit, ſi ritè applicetur: Verùm abbreviationis ſeu melioris commoditatis gratia binis, vel etiam pluribus uti licet. Formam vaſis ad opus dealbationis revelabo coràm.

Vitrulum ad opus decoctionis repręſentat formam ovi. Ad multiplicationem forma poteſt eſſe eadem.

Ad ſextam quæſtionem: Inter philoſophos

ſophos varia quidem ſolet eſſe ignis ſtructura, ſed illa varietas tendit ad unum eundemque effectum: Nihil enim refert, ſive pullus ab ovo calore gallinæ fovente edatur, ſive aliô calore conſimili, modò fiat ſecundum Naturæ requiſitum. Mihi autem magis arridet ignis in hac arte ſolaris: hic enim omnia fœcundat, elementaris verò ſterilitate implet: Nam ignis elementaris habet potentiam activam ad corrumpendum, non ad generandum. Unde Geber: Solus calor ſolaris, eſt complexionem bonam generans. Huic ſubſcribit Paracelſus in Paragrano Medicorum per hæc verba: In hoc igne firmamentali, qui eſt ſol, coquuntur arcana. Jam habes ignem, ſequuntur gradus.

Gradus ignis in prima operatione eſt quidem unus continuus & materiam circundans, interim tamen ità regendus atque moderandus ne fugiens priùs avolet, quàm ipſum perſequens: Nam præcipuus error in operis noſtri praxi, eſt accelerata vel feſtinata decoctio:

quia parit privationem unionum, conjunctionum ſeu mixtionum per minima, ac proinde laborum nullitatem.

Gradus in ſecunda mutatur, nempe in primo introitu eſt humano calori ſimilis. Hic gradus durat usque ad nigredinem, & quousque illa rurſum evaneſcat, & in albedinem convertatur. Nigredo durat fortè 40. dies, plus vel minus, nempe ſecundum ſtudium operantis, & regimen fortunæ.

Poſtquam igitur materiam ſuô vaſe concluſeris, ponatur in calorem naturalem, ut externus internum non ſuperet alioquin nulla ſubſequetur conjunctio, mixtio per minima, matrimonium, ſeu unio: nam calor nimius diſpergit, aduritque materiam, ut nihil ex ea generetur. Continuato calore hôc leviſſimô ſenſim conſumetur prædicta nigredo & paulatim ſucceſſivè in albedinē abibit.

Albedine quadam apparente, augetur ignis gradatim ſucceſſivè usque ad perfectam lapidis exſiccationem. Deſiccatô verò compoſitô, iterùm fortificatur

catur ignis, donec lapis perfectisſimè rubeat & regali veſte induatur ab igne: Deinde continuatur quoùsque præ ſuperabundanti rubedine fiat lucidus niger. Atque hoc eſt venenum noſtrum tingens, Salamandra jubilans, & lapis noſter perfectus, abſolutus & completus. Hic color non ampliùs mutatur, ſed manet ſtabilis, immutabilis atque æternus, licet etiam ignis augeatur quàm intenſisſime: quia lapis ad ſummum ſuæ decoctionis gradum pervenit.

Ad ſeptimam quæſtionem: Durante ultima compoſiti digeſtione in lapidem, multi conſpiciuntur colores, quorum tamen non niſi tres præcipuos artis periti notarunt. Nigrum, Album, Rubrum.

Summa nigredo, nota eſt veræ ſolutionis aquæ noſtræ in ignem, & ſic prænuntia fœlicis ſucceſsus totius operis: Quòd ſi verò iſte color intra 40. dies vel circiter, non apparuerit, ſignū eſt infallibile, anteriores labores non eſſe requiſitè peractos; ac proinde opus reiteran-

 dum;

dum: nam qui errat in opere experiundo, eget reiteratione, ſecundò, tertiò, vel quartò, vel toties quousque ad illud, quod appetit, attingat.

Summa albedo, eſt certisſimæ generationis index. Hanc albedinem appellamus Solem album, Lunam plenam, argentum album, terram albam fructuoſam, lapidem album, &c: quia ſi ab opere deſiſtere vellemus, posſemus mutare quævis imperfecta metalla in purum argentum; Verùm ſi hoc faceremus, dimidia ſaltem totius regni parte potiremur: quapropter ob tantulum tempus quod reſtat ad ſummam rubedinem, progrediendum eſt ulteriùs, quò posſimus omnia inferiora metalla transmutare in aurum, & ſic voti noſtri compotes fieri plenariè.

Hæc nata Regina ſic mundum alloquitur: Sũ Regina laude præ cęteris dignisſima, viribus virtutibusq; refertisſima, quæ Venerem, Martem, Jovem, Saturnum atq; Mercurium in Lunam conſtantisſimam transformo; & nedum id, ve-

verùm etiam languentes homines à variis infirmitatibus & morbis libero, utpura ab omnibus febribus, caduco, lepra, podagra, venereo, nec non aliis mineralibus corruptionibus.

Hic denuò, ô fili, admonendus es, ne te auri ſacra fames, & rabies, & habendi inſatiabile deſiderium occupet: quemadmodum enim paucô contẽtum esſe, SAPIENTIS verus eſt ſcopus, ita multis opibus velle profluere & ſuperbire, INSIPIENTIS eſt finis.

Hæc autem ſcientia, quùm ſit donum Dei, datur tantùm FILIIS SAPIENTIÆ & bonæ voluntatis, qui nempe eam non quærunt ad male agendum, AUT ULLI MORTALIUM NOCENDUM, ſed ut exinde diſcant Creatorem ſuum tantò ardentiùs colere, ejus potentiam admirari, pauperes levare, languidos recreare, atque ipſimet hôc munere cum gratiarum actione frui.

Quorum autem propoſitum ſaltem eſt ambas manus in ſacco auri habere, ſuaviter vivere, aliis dominari, affectare

tyrannidem, orthodoxæ fidei addictos perſequi, pesſundare, extirpare, multaque alia id genus malorum exercere, procul ab hac arte fugiant; nam in ruinam eſt illis & perditionem; probis verò, pijsque viris ad ſalutem à DEO poſita: quia talis eſt voluntas DEI, ut pij pium conſequantur opus, quod quærunt, & perfecti perficiant illud, cui fuerint intenti. Malæ voluntatis hominibus autem, qui nempe omnium facinorum genera patrare non exhorreſcunt, nihil niſi malum, quod ſeminaverint, metere datur: imò perſæpè bonum eorum ſemen in infœlix lolium, propter ſerentis malitiam, convertitur: Plerunque etiam tales è vita evocantur antequam hoc divinum Naturæ Myſterium intelligant, aut ſi fortè ad ejus finem pervenerint, tamen bonis illius non ipſi, ſed alij fruuntur, juxta proverbium: perdix fovet ova, eaque ſæpè non excludit.

Fac igitur ut talis evadas, quale tuum esſe vis, quod quæſieris opus, & precare

care DEUM ex intimo cordis tui centro, ut velit tibi dare mentem verè philoſophicam, hoc eſt conſtantem in omni PIETATE, TIMORE, & SILENTIO. Pergamus:

Aucto poſtmodum igne, ut ſupra dictũ eſt, regia mulier in regem potentiſſimum evadit, albedine ſenſim in flavum croceum-ve colorẽ terminante, ac deinceps in rubicundisſimũ rubini ſplendorem.

Summa rubedo hæc, indiciũ eſt igneę naturæ lapidis; hoc enim colore medicina tanquam cæleſtis effecta eſt, atq; perfecta, quæ tamen multiplicari poteſt per proprium ſuum ſanguinem, perque ſuum internum & occultum ignem in manifeſtum adductum.

Hæc perfecta medicina eſt totius fortitudinis fortitudo fortis: quia vincit omnem rem ſubtilem, omnemq; ſolidam penetrat: Sed de hac lapidis multiplicatione infrà ſuo loco.

Jam natus eſt Rex orientalis, imperans omnibus totius mũdi principibus, quos etiam alloquitur his verbis: Ego na-

naturæ ſulphur, & Rex omnium potentisſimus invincibile posſideo regnum, quô Lunam, Venerem, Martem, Jovem, Saturnum, atque Mercurium vulgi in optimum aurum Hungaricô melius transformans, confirmo ſtabilioque adverſus omnium examinum tormenta; quicunq; me fuerit adeptus, omnia mecum posſidet: Nam parem in hoc mundo non habeo: quoniam non ſolùm corpora metallica, verùm etiam humana in ſupremum ſanitatis gradum colloco, uti mox è ſequentibus audies:

Ad octavam quæſtionem: Qui hanc habet artem, illi non ſolùm infinita vis & copia auri & argenti ad largiendum ſuppetit, ſed poteſt etiam curare morbos, quos cæteri curare minimè posſunt, paucisq; diebus præſtare id, quod alij longô tempore nullô modô asſequuntur: ex quacunq; cauſa morbus ſit, modò non ſit hæreditarius aut fatalis, ut fuſiùs dicetur in ſequentibus; quod hâc artem meritò non odioſam, ſed præ cæteris omnibus gratam & acceptam facere omnibus deberet.

Ad

Ad nonam quæſtionem: Ante multiplicationem & fermentationem eſt Medicina universalis ad perſanandum omnes morbos, quos incurabiles hactenus exiſtimavit vulgus Medicorum, ut ſunt podagra, hydropiſis, lepra, caducus, atq; reliquos omnes, nec eſt ſentiendum ullum eſſe vel tàm diuturnum, vel tàm periculoſum morbum, quem hæc medicina depellere nequeat, nempe quatenus Deus illum ægrotum hominem reſanari voluerit: Multi enim ſunt morbi fatales & immedicabiles, nec manum medicam, nec curam ullam admittẽtes: Hi ſummo ac omnipotenti medico Jheſu Chriſto commendandi ſunt, qui eos aut ſuo tempore curabit, aut ſibi reſervabit uſque ad mortem patientis; qui verò in corpore humano generantur à cauſis naturalibus, quales ſunt plerique medicis rationalibus ad curandum propoſiti; hi inquam, ſi medicina una aliqua pretioſisſima mitigari, tolli, & curari posſunt, certè hæc univerſalis dici merebitur: Si enim

au-

aurum potabile, cujus antè alibi mentionem fecimus, tanta eſt efficacia & viribus in medendo corpore humano, quùm tamen à ſuo corpore ſeparatum non ſit, ſed adhuc in ſe contineat ſpiritum ſimul ac corpus auri, eò quòd aurum ſaltem ſolvitur in ſubſtantiam melleam, quæ cum alijs liquoribus miſceri, & vnà cum illis intra corpus bibi poteſt, certè multò præſtantior, potentior & efficacior medicina exiſtet lapis philoſophicus; quùm ſit res non modò ab omni corporalitate ſoluta, ſed etiam in ſpiritum omnium ſubtilisſimum, purisſimum, ac proinde penetrantisſimum perducta: quippe omnis ſpiritus ſuo corpore multò operoſior eſt & efficacior.

Quùm igitur hic ſpiritus noſter, corpus ſolis quod ſemel induit, ab omnibus temporum corruptionibus tueatur, atque hoc etiam pariter cum eo ab omni ignis violentia defendat, quemadmodum ipſa experientia, & philoſophi naturales omnes, qui de ſpiritibus metallorum ſcripſere, teſtantur, quid ob-

ſtabit,

ſtabit, quin idem ille ſpiritus à ſuo corpore liber, corpus humanum ab omnibus corruptionibus, morbis, & accidentibus quibuſcunque tutum reddat, & tanquam balſamus perpetuus vitam longam & ſanam æquè atq; noſtris olim primis parentibus conferat? ſiquidē quò ſublimior, ſubtilior, incorruptibilior atque perfectior quęq; medicina fuerit, eò perfectiùs etiam curat in ſuo genere.

Verùm objiciet aliquis inſtando: Si igitur lapis philoſophicus eſt medicina univerſalis, poterit homo, quotieſcunq; in morbum ceciderit, reſanari, & ſic deinceps reddi immortalis. Ad quod dicendum ut priùs, nempe ſi morbus eſt à cauſis naturalibus in corpore humano generatus, poteſt, Deo volente, vita hominis benè prolongari, at non fieri immortalis: Contra vim mortis enim nullum eſt in rerum natura remedium: quia mori ſemel, ſtatutum eſt cunctis hominibus; idque propter peccatum: Interim tamen hic lapis philoſophicus eſt medicina inæſtimabilis

bilis & miraculum ineffabile: quia reſtituit hominem confeſtim in ſupremum ſanitatis gradum, inque eo conſervat uſque ad prædeſtinatum à Deo terminum mortis.

Quoniam ergò lapis noſter eſt medicina tàm impreciabilis, æquum eſt etiam ut ejus uſum paucis adjungamus: in hunc modum: Hujus medicamenti doſis vel pondus adminiſtrationis tàm exiguũ eſſe debet, ut vix atomum referat, in vino, vel aliô cordiali liquore: Nam ſi vel tantilla major quantitas adhibita ſit quàm par eſt, nimiùm operatur cœleſtis virtus in eo deliteſcens. Ad illuſtrandam memoriam, vitamq; longam conſervandam ſumitur intra corpus ſingulis menſibus, aut novilunijs. Pergamus:

Ad decimam quæſtionem: lapis perfectus poteſt multiplicari in ſuo proprio ſemine quoties volueris, & quò ſæpiùs, eò magis augetur ipſius virtus activa: quia omnis ſpiritus eſt multiplicabilis in infinitum: Poteſt tamen etiam tingere abſque hac multiplicatione finali.

Ad

Ad undecimam quæſtionem: Lapis multiplicatus ac fermentatus tingit & convertit omnia imperfecta metalla, nempe plumbum, ſtannum, argentum, cuprum, ferrum, nec non argentum vivum vulgi in aurum perfectisſimum, quod in omni probatione, malleatione, lapide lydio, cineritio, cœmento, ac monetarum cusſione æquè bonum, pretioſum atque nobile eſt, quàm quod è terræ mineris eruitur. Verùm hic notandum occurrit: Si contingat operantem tincturæ nimiùm asſumpſisſe, hunc errorem additione poterit imperfecti metalli corrigere; ſin verò ſubjecti nimiùm, quô tincturæ vires debiliores effectæ ſint, vitium hoc cineritiô facilè, vel cœmentationibus, aut per crudum antimonium tollitur.

Ad duodecimam quæſtionem: Lapidem perfectum fermentare, appellatur opus triũ dierum: quia in tali temporis ſpatio completur. Hoc autem opus inter præcedentia opera primaria ſeu capitalia non pertinet, eò quòd non

M con-

conſtat ex principiis neceſſarijs: Poſſunt enim metalla imperfecta in aurum transmutari, etiamſi hæc fermentatio finalis non præceſſerit, quemadmodum è ſuperioribus patet per experimentum Raymundi Lullij: Quamvis enim ibidem pars aliqua lapidis convertat Mercurium vulgi in merum pulverem, ac poſteà pars de hoc pulvere convertat alium Mercurium vulgi in pulverem, & iterùm pars hujus pulveris cõvertat adhuc alium Mercurium vulgi in pulverẽ, poteſt tamen toties iteratò de illo novo pulvere ſuper alium Mercurium vulgi projici, donec tandem non ampliùs convertatur in pulverem, ſed maneat corpus converſum in aurum perfectum: Lapis enim ipſe in nullum alium finem anteà ſic multiplicatur, quàm ut ſit in virtute activa multus, quemadmodum omnes philoſophi una mente teſtantur. Quamobrem perſpicuum eſt, quòd lapidem perfectum fermentare, non ſit quidem opus neceſſarium, verùm ut nimia ejus fortitudo, ſpiritualitas ſeu ignei-

igneitas paululùm reprimatur ſeu reſtinguatur, & ſic eò citiùs Mercurium vulgi, aliave imperfecta metalla in corpus auri convertat, fermentare eum licet: quemadmodum enim multiplicatio tincturam acuit, ita hæc fermentatio è contrà nimiam ejus acuitatem retundit.

Ad decimam tertiam quæſtionem: Lapis perfectus non eſt pulvis quidam, aut liquor, ut imperitum vulgus philoſophantium opinatur, ſed eſt lapis durus, ponderoſus, friabilis, & in aſpectu ſublucidus ſicut optimum antimonij vitrum, & ob ingentem rubedinem, quam in ſe habet, repræſentat colorem ſubnigrum in fractura: Tunditur in pulverem, qui poſteà vel oleô, vel aliô quôvis ſuavi liquore miſceri, & pixidulæ includi poteſt, ne quid pereat.

Ad decimam quartam quæſtionem: Quia ſpiritus Mercurij cum ſui fermenti corpore coquitur, quoùſque omnis humiditas exſiccetur in perfe-

ctum lapidem, patet reſolutio dicti: Spiritus corpus exſiccat, & à corpore exſiccatur.

Ad decimam quintam quæſtionem: Corpus appellatur, ratione ſuæ ſoliditatis, duritiei, ſeu palpabilitatis. Spiritus, cauſa ſuæ ſpiritualis ingresſionis: quia tanquam ſpiritus imperfectorum metallorum muros tingendo penetrat.

Ad ſingula ſequentia in tuis literis, ſi reſponderem; totum ſanè Myſterium intelligeres, imò plusquàm notum haberes: Verùm tot ſudoribus parta mea ſtudia non ſic absque prævia alia conditione revelo, nec adeò ingratum te fore puto, ut hoc cupias: Non enim ſic Dij bona ſua mihi vendidere: Totus incanui antequam tanti ſecreti ſcientiam è lumine Naturæ & philoſophorum libris eruere potuerim, quod abſque magnis ſumptibus, uti facilè habes judicare, fieri non potuit: imposſibile namq; eſt, indigentem philoſophari, & ſic rerum naturas perſcrutari.

Quamobrem ne ægrè feras, ſi petitio-

tionem tuam recuſavero: id enim facere cogor; ac quidem ex eo fundamento: quia hoc Magiſterium requirit integrum philosophum, qui nempe nullis alijs turbetur negotijs, ſed ſit omnibus curis ſolutus, ut huic magiſterio absque ulla remora unicè vacare, eique omnem ſuam operam navare posſit, ac prætereà etiam habeat media, unde rem ad finem perducat.

Quùm autem tu quotidie alijs negotijs diſtinearis, ac ne vix tantùm temporis habeas, ut ab ijs reſpirare, nedum huic operi in ipſa perſona adesſe queas, quomodo illud perficies? An fortè putas committendum amanuenſi, vel ut vocant, laboranti? Abſit. Hac via nihil à me conſequeris; pretioſius enim eſt arcanum, quàm ut extra philoſopum ulli credatur homini. Ad hæc etiam, quùm ipſe non habeas, unde hanc artem de potentia deducas in actum, quid proderit tibi modò cognita? Ergò potiùs ab hac philosophia planè abſtineres, tibi ſuaſor esſem, quàm ut mecum pari mœrore premare.

Porrò in literis nuperrimè ad me ſcriptis, ponis inter alia, hæc verba:

Hactenùs ex multis ac diverſis Reſponſionibus ad meas literas quàm humaniſſimè redditis perſpicuè animadverto atque video, te in hac magna philoſophia ſummè à Deo illuminatum; & qui id fateri nollet, eum vel ſanè quàm invidum, & malignum, vel imperitum vel ſtupidum eſſe oporteret: Peto itaque pro illa amicitia, quam literarum conjunctio inter nos peperit, ſi fructus illos penitùs cognoſcere non liceat propter impedimenta, quæ ipſe jam demùm in me ſentio, de odore ſaltem mecum placeat diſcurſum continuare:

Reſpondeo: Quicquid ſcio, ſoli Deo, non mihi, neque meis laboribus acceptum fero: Ille enim ſolus omnium bonorum autor eſt atque diſpenſator. Quid verò, & quàm fideliter hactenùs ad tuas reſponderim, judicent ingenui & æqui rerum æſtimatores. Nihil reſpondi oſtentationis doctrinæ cauſa: non enim ipſe mea laudo, nec gloriam affecto: Gloria rectè facta ſponte ſequitur. Sed quicquid feci, feci ex mera ani-

mi mei ſinceritate, ut te ab errorũ labyrintho deducerẽ, ac ſimul etiã aliis quibuscunq; ad hoc Myſterium diligenter quærendum, anſam præberẽ fortisſimã.

De Diſcurſu continuando, quod petis, non video, quòd illud posſit quicquàm utilitatis importare, propter cauſas tibi notas: in primis etiam, quia votũ feci, quòd per modum diſcurſus mortalium nemo, quisquis ille ſit, amodò plus ex me eliciet, quàm hôc publicô Scriptô factum eſt. Quòd autem attinet REVELATIONEM ipſam, de hoc filij SAPIENTIÆ habent meam finalem DECLARATIONEM in frontiſpicio hujus Tractatus, juxta quam animi ſui propoſitum dirigere poterunt.

De ſumptibus verò adhuc dicendum reſtat: *Scribis, H. K. in ſuo Amphitheatro diſertè asſerere, totam artem ultra triginta thaleros imperiales non requirere:*

Reſpondeo: Hic cogor cum Martiale dicere: Omnis Cęſareo cedat labor Amphitheatro! Miror mehercule, qua fronte id posſit diſertè asſerere, quùm tamen è firmisſimis cauſis hactenùs allegatis

evidentisſimum ſit, eum hanc artem nequaquam calluisſe, ac proinde non intellexisſe, quid philoſophi per tale vile pretium ſignificarint. Profectò, ſi res non pluris conſtaret, difficultates praxeωs, & impedimenta artis facilè evincerem. Campanam audivit doctor H.K. ſed neſcivit in quo pago. Lege quæſo per attentam conſiderationem integrum locum apud pium Treviſanum, qui ex Gebro ſic incipit: Expedit, ut artifex pecuniam ſuam cuſtodiat &c; & mox è verborum energia rationi tuę atque intellectui clarè patebit, quòd non ità vili pretio, ut vulgus philoſophantium putat, ad complementum magiſterij perveniatur, & ſic roſa ſine ſpinis, aut mel ſine apum ictu legatur: In eadem quoque energia loquitur Mundus in Turba: Sunt, inquit, quidam inveſtigatores, qui, licet inveniant applicationes, nolunt tamen labores ſuſtinere: quia ſimul & ſumptus fiunt. Unde ſatis clareſcit, triginta thaleros nullô modô ſufficere ad primum principium artis:

Quis

Quis enim, obſecro, poſt tantæ artis rectam ſcientiam adeò miſer relinquitur, qui ob tale vile pretium impediatur, quò minùs & finem perſequatur?

Licet ergò philoſophi interdum ſcribant, vili pretiô hanc artem perfici poſſe, ſcias tamen hoc ſaltem fieri ad ſeducendum indignos, quemadmodum verè monet Zeunon in Turba, quando ſic inquit: Sapientes, quùm in hac arte dixerunt, quod Natura eſt vilis, & parvô venditur, fecere vulgus errare. Hactenus ille. Interim tamen etiam non mentiuntur: Eſt enim natura, hoc eſt ſemen, re vera res vilis reſpectu corporis, è quo venit, & ſimul etiam pretioſa reſpectu finis illius. Unde porrò idem Zeunon, Dixerunt etiam naturam ſuam naturis omnibus esſe pretioſiorem, & etiam hôc dictô multos fefellerunt, & tamen verum dixerunt. Item Roſinus: Venenum hoc eſt valdè magni pretij. Hæc illi.

Hinc ergò plusquàm clarum eſt, per triginta thaleros, aut ſimile vile pretium nil aliud nobis innui, quàm ſaltem va-

lorem Mercurij philoſophorum: nam antequam ille è ventre Magneſiæ, vbi delitescit & abſtruſus latet, rectè eliciatur, ac poſteà in virtute activa, prout ſpiritus hujus conditio poſtulat, multiplicetur, alia, quàm bonus ille Doctor ad ſonum literæ intellexit, requiruntur. Atque hic locus fuit doctori K. labyrinthus inextricabilis: quòd ſi verò filum Theſei ſequutus fuiſſet, fortaſſe facile ſe extricatum vidiſſet, ac proinde philoſophorum ſenſum hac in parte longè alium fuiſſe, quàm nuda ſyllaba ſonat, deprehendiſſet. Verùm non omnibus contingit adire Corinthũ. Imò inter omniũ literatiſſimos vix è millies millibus unus reperitur, qui hanc artem etiam legens intelligat: quia eſt verè donũ Dei, quod illi tantùm asſequuntur, qui ſibi faciunt propoſitũ pium ergaDeum & homines.

Hucusq; Doctorum H. K ac J. W. D. asſertiones ſub lapide meo habui, & inveni in illis multùm æris, argenti minimum, auri nihil, imò plus quàm nihil. De ipſorum præſtantia in medicina non lo-

loquor, hoc tantũ affirmare poſſum, illorum ſcripta & opiniones de lapide philoſophico ad transmutanda metalla eſſe meras jactationes ac illuſiones fatuorũ.

Quamobrem, ſi ſapis, & cupis in noſtra philoſophia proficere, ſuadeo fideliter, veris incumbe philosophis, & miſſos fac hujuſmodi Logo-Dædalos ac fratres hyleales unà cũ ſuis catholiciſmis. Si ſitis, noli ex quibusvis lacunis bibere, ſed accede ad limpidos fontes. Si non vis in foveam cadere, ſequere ductorem & dictatorem oculatum, cæci viam mõſtrare non poſſunt. Adverte, quàm piè fraternitas Roſeę crucis circa ſuę Confesſionis finem te à falſorũ alchymiſtarum, & imprimis ab hujus Amphitheatri lectione dehortetur. Perpende item ſpeculum meum, quod eum in finẽ tibi pręſcripſi, & ſecurus eris ab omni ſeductione. Verũ ad impetrandã hanc ſcientiã tria tibi imprimis neceſſaria ſunt: Pia ad Deum precatio, attenta philosophorum lectio, & aſſidua Naturę meditatio. Pietatem AD OMNIA eſſe utilem, nemo,

niſi

niſi planè atheos negat. Attentam lectionem requiri, patet per experientiam & philoſophos: quicunque enim in legendis philoſophorum libris deſes extiterit, in præparandis etiam rebus promptus eſſe non poterit: Nam ſtudium ſecundum doctores amovet ignorantiam, & reducit humanum intellectum ad veram ſcientiam cujuslibet. Sine aſſidua Naturæ meditatione nihil in hac arte profici poſſe, aut certi quid effici, clarius eſt, quàm ut latiori probatione ſit opus. De tua ruditate in hac philoſophia ne conquerare. Ego quoque fateor ingenuè, me ante perpaucos abhinc annos rerum ſatis imperitum fuiſſe, ſed differunt olim & nunc: fruſtrà enim nati eſſemus, niſi indies meliora inveniremus; præcipuè quùm nihil tam difficile ſit, quin quærendo inveſtigari poſſit. Probatos itaque philoſophorum libros attente legendo, ac ſumma cum ſagacitate advertendo ubi maximè concordarent, atque interim aſſiduè conſiderando Naturam, ejusque poſſibilita-

tem, tandem ad naturaliſſimæ hujus philoſophiæ intelligentiam perveni. Abſit tamen ut mihi quicquam arrogem, ſolus Deus Myſteriorum intellectum reſerat, ad eum omnia refero: Ex uno enim illo fonte omnis mea ſcientia manat; cui etiam ſoli pro ſpeciali hoc munere ſempiternas gratitudinis laudes decanto, oroque latiùs, ut, quùm in deſideratum portum per ſuam gratiam appulero, hanc beneficientiam ſemper in amore & timore ſuo, ſine faſtu, aſtu & abuſu ità regere valeam, ut omnia ad ſui æterni nominis gloriam, animæ meæ ſalutem, & proximi egeni ſubſidium vergant. AMEN.

Habes ergò nunc, quæ ad tuas literas de lapide philoſophico dicenda & reſpondenda eſſe duxi. Ex quibus inter cætera vides, quòd multa ſint impedimenta, quibus impediuntur artifices, quò minùs verum hujus artis finem adipiſcantur. Hic quærit lapidem in una ſola re, ille non laborat in materia debita, nec recenter è mineris foſſa, ille non

ad

ad inſequutionem Naturæ, ille opus dimittit ubi maximè esſet incipiendum & pergendum, alterum decipit obſtinax opinio de materia lapidis è quatuor elementis deducenda, aliũ reductionis metallorum in quatuor elementa, alium in tria principia, alium ſolutionis metallorum in totum. Alius quærit lapidem inter miracula divina, alius in Nicromãtia, alium ſeducit vana perſuaſio vili oretij, impedit alium paupertas, aliũ poſt multos ſumptus deſperatio, & ſic quisq; ſuõ propriô ducitur errore: & ſi omnia impedimenta ſpeciatim huc recenſere velim, infinitus esſem, ſed oculi ſapientum vident omnia. O quàm multi ſunt hujus artis inquiſitores, quibus ſi contingeret tale habere Scriptum, quàm ſeſe gratos prębérent mihi! quamq; illud tanquam theſaurum incomparabilẽ cuſtodirent, ne in malevolorum ſeu indignorum manus pervenire unquam posſet! Et credo firmiter, te nunquam habiturum meliorem viam, cui inſiſtas, quàm quæ tibi hic demonſtrata eſt: omnia enim apertè di-

xi, nulla ſum uſus periphraſi, nec etiam ſcripſi Recepta, quibus ſumptuum, temporis atque laborũ tuorum facere poſſes jacturam, neque ſub figurarum nebulis, aut fabularum involucris, ſed propriè loquutus ſum, & tantùm ſimpliciter philosophando dixi quod res eſt, nec volo aliter mea Scripta intelligi, quã ex meis verbis percipi poteſt. Multos philosophorum aphoriſmos, multasq; leges in medium adduxi, quę huic arti ſunt proprię & peculiares. Qualis debeat esſe vera materia ad principium, item ad medium, & finem operis, planum feci. Theorian & Praxin, quantum fas fuit, ſatis & plus quàm hactenùs ab ullo philoſophorum factum eſt, manifeſtavi, & ſic omnia quæcunque ad totius hujus philosophiæ revelationem ſpectant, non aliter, quàm probum ac bonæ conſcientiæ virum decet, aperui, & ſi ſecùs fecisſem, peccasſem contra dilectionem proximi. Potuisſem quidem, ut alij, totam artẽ figuratè tractasſe, idque artificiô quàm cautisſimo,

ac prudentisſimo, ne intelligeretur niſi à conſummato hujus artis philoſopho, verùm, quia ex tali obſcuritate nullus profectus expectandus eſt, eô labore ſuperſedere volui. Id verò auſim affirmare, quòd plus ex hoc meo Scripto, quàm ex omnibus parabolis proficies, modò te præbeas lectorem attentum: quicquid ſcripſi, ſcripſi intelligenter, nec tamen quicquam dixi, quod non ſit manifeſta philosophorum authoritate confirmatum, quamvis non ſemper cujusque philosophi nomen appoſuerim. Hoc etiam asſeverare posſum, non esſe ſcrupulum in tota hac arte, quem hic meus Tractatus ſapienter inquirenti eximere non posſit. Diſpice, ſed diſpice rectè, & comperies manifeſtò me tibi veritatem dicere, & non aliò ſpectare, quàm ut te, uti dixi, ex errorum labyrintho in rectam deducerem viam, ac omnem à te amoverem caliginem: Quòd ſi igitur vel non intelligis, vel non credis veritati, ne mihi, ſed tibi-ipſi culpam imputa, & crede firmiter, Deum tibi

hoc

hoc ſecretum EX DIVINA SUA PRÆSCIENTIA NOLLE REVELARE. Hanc igitur tibi rursùm commendo cautelam, quòd ſi ad arcanum hoc pervenire volueris, pœnitentiam age: fac tibi erga Deum atque hominem pium propoſitum; mane in timore Dei totis medullis cordis tui, caſtaque mente orationes ad eum funde: Omne enim donum bonum & perfectum à Deo, imperfectum verò à diabolo; probatos philoſophorum libros diligenter lege, & hoc meũ Scriptum cum illis conjunge: adverte ſubtiliter harmoniam, & ubi cum Natura, ejusque poſſibilitate conveniant. Et quùm tandem ad plenam hujus divinæ philoſophiæ intelligentiam, & operis complementum perveneris, tuique voti compos factus fueris, cave ne ſis cauſa impietatis, ſed philoſophicô more OMNES INDIGNOS ab hac arte exclude, & in ſumma, ſis gnarus & prudens omnium impendentium malorum, ne veniat ſuper te maledictio.

Scripſi paulò prolixiùs quàm propo-

ſueram, ſed quid tum? id feci docendi cauſa; in explicanda philoſophia non expavenda eſt ulla copia, niſi quæ inani verborum fluxu redundat. Quùm etiam veritas ſimplicisſimo delectetur ſermone, & plerunque ſub verborum elegantia lateat mendacium, oratione non eleganti, ſed humili, & ad docendum, ut ſpero, apta, ſum uſus: Non deſiderat Cicero loquutionis ornatum in philoſopho, ſed ut rebus & doctrinæ ſatisfaciat. Ignoſce itaque ſtylo, &, non quis dicat, ſed quid dicatur, ATTENDE: Nam omninò ſapientis eſt, non quid quisque dicat, ſed quàm rectè dicat, animadvertere, ubi enim res ſpectatur, non verba, nec perſona, neq; veſtes penduntur.

Denique quùm tibi notiùs ſit, quàm ut longa explicatione indigeas, ingratitudinem vitiorum omnium eſſe crimen deterrimum, non multùm hortabor te ad gratitudinem: quia ſine dubio ipſe gratus eris erga præceptorem, à quo, poſt DEUM, HABES OMNIA.

DEUS, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, te ſuô ſanctô Spiritu regat, & inflectat voluntatem tuam ad veram, ſeriam, & perpetuam pietatem erga ſe, & cunctos indifferenter homines in Chriſto baptizatos, propter Filium ſuum Dominum noſtrum Jheſum Chriſtum. Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt OMNIA: Cui cum Patre & Spiritu Sancto ſit laus, honor & gloria in omnem indeſinentem æternitatem

AMEN.

ADMONITIO AD FILIUM SAPIENTIÆ.

Scripſi quidem hanc philoſophiam clariùs quàm anteà videri licuit, aut legi, ſecretùm verò ipſum reticui, & mihi in abſtractis revelandum reſervavi. Quamobrem ſi quis fortè ſibi perſuaderet, ſe jam omnia facilè absq; ulteriori mea revelatione inventurum, incertô ſanè nititur eventu, & ſpem quam habet, fortunæ præ cæteris valde ambiguæ committit: Non enim *cuivis inquirenti, imò vix è centum millibus uni homini contingit, hanc artem propriâ ſuâ indagatione è libris elicere, ſed pleriq; eam poſſident per ſecretam alicujus fidelis amici traditionem. Ad ardua quæque, quàm ſummô labore, nullus eſt aditus: contrà verò, poteſt illuſtratus verô lumine* Naturæ *plus docere unicâ tantùm horâ, quàm aſſiduus & improbus labor totius ævi hominis. Vide igitur ne proprio tuo genio plus adſcripſeris quàm aſſequi valet:* Nam *certè ſi* OCCASIONEM *hanc tibi oblatam ipſe præſumptuoſus neglexeris, poſtmodùm* TARDE NIMIS CVPIES, *juxta illud:* ☞

Rem tibi quam nôſti aptam, dimittere noli,
Fronte capillata, poſt eſt occaſio calva.

SIMPLICITAS DEO CHARA.

FINIS.

UT CANDIDUM, SIC VERUM DE FRATRIBUS ROSEÆ CRUCIS judicium, SIMULATQUE QUÆSTIONIS hujus SOLUTIO, AN QUIS illæſa ſua conſcientia, & gloria Dei intacta, ſe in illorum fraternitatem tutò dedere poſſit?

AUTORE

MICHAELE POTIER, CIVE DORTMONTANÔ, IN WESTPHALIA.

Salomon in Proverbiis cap.18, verſ.13.

Qui priùs reſpondet, quàm audiat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat, & confuſione dignum.

Ago tibi gratias pro Fama & Confeſſione fraternitatis Roſeę Crucis, librum non ſine magna admiratione, animique ſtupore perlegi, ſimulque etiam in ſinu gaviſus ſum, nempe quùm viderem nobis tàm improviſa, tàmque incomparabilia bona offerri.

Scribis eosdem fratres multos habere invidos, ac ſubinde certior fieri cupis, quidnam ego de illis judicem aut ſentiam: item, An quis illæsâ ſuâ conſcientiâ, & gloriâ Dei intactâ, ſe in illorum collegium ſecurè dedere posſit?

Reſpondeo: Multa deliteſcunt nobis, quæ Patribus antiquis erant familiariſſima, non ſecus ac plurima in abditis Naturæ recondita ſunt, quæ vulgus philoſophantium fieri poſſe non credit. Exempli gratia:

Si quis verus Naturæ ſcrutator diceret, ſe poſſe facere tonitru, quod ſonum edit quemadmodum tonitru in aere, ac etiam deorſum ferit veluti natura fulminis, huic inexpertus rerum Naturæ phyſicus mox reſponderet, talia eſſe in rerum Natura planè

impoſſibilia,& non niſi per diaboli præſtigias fieri. Talia nempe feruntur judicia de illis, qui Naturæ ſecreta perſcrutantur. Verùm ut incredulo inculcetur fides, en de conficiendo tonitru iſto vivum proceſſum:

Accipe auri optimi per antimonium purgati, quantum libuerit, partem unam, aquæ regis partes quatuor vel plures (ſi non habes aquam regis, accipe libram ſemis aquæ fortis communis, ſolve in illa unciam unam ſalis armoniaci, vel quantum ſolvere poteſt in parvo calore: ita habebis aquam regis) ſolve aurum in iſta aqua; ſoluto affunde olei tartari optimi guttas decem, & videbis illicò bullire ſine igne: affunde denuò de iſto oleo guttas decẽ vel duodecim; atque ita perge donec non ampliùs ſtrideat, ſine reſidere per noctem, deinde effunde vel abjice aquam, & materiam in fundo relictam ad aerem benè exſicca. Cave ab igne: quàm primùm enim calorem ignis ſentit, concipit ſponte flammam cum magno periculo tui & a-

ſtan-

ſtantium: nam ſonum edit adeò horribilem & prçacutum, ut præ repentino terrore periculum esſet de vita.

De hac materia exſiccata accipe globulum ſaltem ad magnitudinem unius pollicis, accende carbone vivô, & artificialis tonitrui videbis effectum. Operatio hujus materię contraria eſt operationi pulveris tormentarij: ut enim hic vim ſuam per ſuperiora aſcendendo exerit, ita hæc materia è contrà per inferiora ſaltem deorſum juxta naturam fulminis ex aere jacti, operatur. Aliquot ſcrupuli ſuper laminam ferream ſatis crasſam carbone accenſi, illam penetrando perforant Hinc fiat calculus, utrùm etiam hôc artificiali fulmine τὰ πλοῖα καταποντίζειν posſint? Plura non dicam, ſaltem quòd hoc tonitru fiat multis modis, quibus omnis civitas & exercitus terretur ad modum artificis Gedeonis, qui laguncul is fractis & lampadibus igne ſaliente cum fragore & coruſcatione ineffabili Medianitarum deſtruxit exercitum cum trecentis hominibus.

Hoc exemplum in prçſentia ſufficiat, quamvis multa alia miranda proponi poſſent in medium, non quidem ad comparationem iſtius ſapientiæ, qua Deus benignè decorare voluit fratres Roſeę Crucis, (illa enim ſapientia hiſce humilibus exemplis, imò omnibus hujus mundi theſauris longè eſt anteferenda) ſed tantùm ad probationem occultorum, quibus vulgus philoſophantium contradicit, non putans aliud in rerum natura fore, præter id, quod ei ſub ſenſus cadit: quùm tamen unicuique rei ſua virtus inſit, & cæleſtis influentia, etiam in minimo vermiculo, quæ virtus tamen externis oculis minimè videri poteſt, ſed ejus effectus tantùm. Videmus attractionem ferri factam à Magnete, vim verò magneticam in ipſo lapide latentem videre non poſſumus: quia ſpiritus eſt, & ſub ſenſum non cadit, ſic de aliis: Nam in omnibus alijs corporibus latere abditas virtutes juxta magis & minùs, quis, niſi mente captus, ibit inficias? Quid aurum ſit, non

non eſt quod explicemus, quum pueris etiam notisſimum exiſtat: Verùm actiones atque virtutes ejus, pauci reperiuntur, qui intelligant, præter eos qui cognoverunt Naturam.

Posſunt itaque fratribus Roſeæ Crucis invidere multi, ſimiles esſe paucisſimi. Cauſa autem, quare hi fratres multos habeant invidos, facilè patet, nempe quia à vulgari captu & intelligẽtia loquuntur planè remota: hoc eſt, quia ſentiunt & dicunt, quę longè ſunt ab imperitorum hominum intelligentia ſenſuq; disjuncta. Hinc enim vulgo fiunt ſuſpecti, ac ſi ea ſaltem animo jactandi ſcripſerint, in effectu verò ne minimùm quidem eorum, quæ promittunt, præſtare valeant. At hi exſibilatores, ſi rem paulò attentiùs, & æquiori judicio conſiderarent, viderent rem ſe habere longè aliter: minimè enim ſcripſerunt hanc ſuam Famam & Confesſionem ad diſcutiendum temporis tædium, ut mundum ſcili

cet

cet inani quodam figmento illuderent, aut ſui ipſius laudem venarentur, ſed illorum finis ac ſcopus præcipuus eſt, vera Dei miraculorum propagatio, ut nempe exinde cognoſcatur Dei omnipotentia, veritas, juſtitia, & clementia. Hoc inquam fine & conſilio hanc ſuam Famam & Confesſionem publicarunt.

Deo itaque optimo ter maximo meritò gratiæ ſunt agendæ, quòd hôc ultimô langueſcentis mundi ſeculô ſimul cum luce verbi miraculorum accendit lumen, excitatis uiris excellentibus, qui & ingenij magnitudine & judicij libertate artes priſtino nitori, obſervato legitimo ordine, ſeſe reſtituturos, tàm benignè pollicentur.

Quid n. turpius, quid fœdius, quid ab homine (imprimis literato) alienius eſſe poteſt, quàm ſic ferarum & brutorũ animalium more ſęvire in eos, à quibus non ſolùm non ſumus offenſi, verùm etiam qui nobis ex animo benefacere quærunt? Illis latronum more inſidias meditari, qui nobis cupiunt eſſe tantæ comitatis,

tatis, tantæque beneficentiæ? Imò etiam à quibus nobis tàm inopinatorum, tàmque incomparabilium bonorum fit oblatio? Oblatam autem benevolentiam abnegare, & ſic manibus pedibusque à ſe repellere, quid aliud eſt, quàm propriæ ſuæ fælicitati invidere, & ſibi-ipſi non benè velle?

O Viri docti, & fratres in Chriſto, cesſate obſecro impedire illos, qui ſapientiam & artes veterum noſtrorum patrum peccatis noſtris amisſas in lucem revocare, & reſtaurare parati ſunt, ut Deus in ſapientia ſua tantò magis exaltetur & prædicetur. Intentionem bonam veſtris inimicitiis opprimere deſinite, ſapientiam ultrò vobis oblatam apprehendite, ne fortè Deus propter tantorum ſuorum magnalium contemptum iraſcatur. Secreta Naturæ diligite, atque inquirere diſcite.

Quid enim publicè privatimque utilius, quàm mortalitati noſtræ, quantum quidem licet, ſubvenire? Morbos,

aliaq;

aliaque corporis incommoda arcere atque depellere? Langventem proximum atque jacentem reſtituere? Paupertate nulla premi, ſuaque copia pauperum inopiam ſublevare? Quid jucundius, quàm ea noſcere atque oculis cernere, manuque tractare, quæ procul à ſenſu & cognitione noſtrâ peccatum poſuit? quàm in ipſam penitus abſconditam Naturam deſcendere?

Nonne beatius foret, veram illam ſapientiam, verasque opiniones asſequi poſſe, quàm ſic in tantis rerum cognoſcendarum tenebris verſari? Nonne laudabilius esſet, ea quærere, quæ vulgus philoſophantium cõtemnit, quàm ſic per inſcitiæ vitium damnare, quæ aditum ad vitæ beatitudinem monſtrant?

O hominum ingratitudo! ô ſocordia! ô imprudentia, quò tandem cæcitatis devenies! Sed quid ſannas & Satyras perſequor? Fælicitate neſcit uti ſtultus. Maneant ergò ſalebroſi iſti homi-

homines in ſua tabeſcentia perpetuò, ſentiantque de hiſce fratribus Roſeæ Crucis quid velint. Ego profectò pro mea perſona firmiter credo, quòd omnia, quæcunque in ſua Fama & Confesſione ſcribunt, non ſint ſomnia, aut figmenta quædam, neque Scriptum aliquod fucoſum, ſed veritas ipſisſima.

Nam, ſi Deo olim placuit primævum noſtrum parentem Adamum tanta illuminare ſapientia, ut unumquodque creatum ſuô propriô, genuinô atque convenienti nomine appellare posſet, Salomonem, ut ſciret præterita, futura, cogitationes hominum; imò & quæcunque fuerunt abſcondita & improviſa; Eliſeū, vt ſciret indicare Regi Iſrael omnia verba, quæcunque loquutus fuerat Rex Syriæ in cubiculo ſuo, Apoſtolos, ut facerent miracula: Quidni ergò Deus, cujus brachium nō eſt decurtatum, & hiſce ultimis mundi temporibus posſet excitare homines, per quos ſimiliter potentiam, veritatem, juſtitiam & clementiam ſuam

ſuam quùm ad converſionem incredulorum, tùm ad glorificationem ſui æterni nominis oſtenderet?

Nonne æternus Deus promittit Spiritum ſapientiæ omnibus eum verè invocantibus, juxta virtutem verbi: PETITE & ACCIPIETIS, PULSATE & APERIETUR VOBIS, QVÆRITE & INVENIETIS, atregnum Dei primù, & cætera adjicientur vobis? Exempli gratia: Annon Salomon dixit, INVOCAVI, ET VENIT IN ME SPIRITVS SAPIENTIÆ. Anne Jheſus Chriſtus ipſe dicit, Amen dico vobis, ſi habueritis fidem, & non dubitaveritis, non ſolùm hoc de ficu facietis, ſed & ſi monti huic dixeritis, amove, & jacta te in mare, FIET? Nunquid iterùm duplicatò inquit, AMEN, AMEN dico vobis: qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, atque etiam his majora faciet? Certè quicunque hiſce claris dictis ſcripturæ ſumma cum reverentia non ceſſerit, impius eſt in Spiritum ſanctum: quoniam non credit verbo ex ipſo ore Dei prolato.

Qui

Qui ergò Cabalam & Magiam Chriſtianô homine artes indignas, fugiendas, minimèq; colendas eſſe clamitant; & omnia, quæ ipſi non intelligunt, aut ingeniô ſuô capere non valent, ſuperſtitioſa, diabolicaque eſſe contendunt, ij & Picum Mirandulanum, & Reuchlinum, & Petrum Galatium, plurimosq; alios qùum ſuperiorum temporum, tùm noſtri ſeculi homines doctisſimos, Chriſtianos, virosque bonos audiant; qui de hiſce artibus magis ſobriè, candideq; judicarunt.

Non ſum adeò vel rudis, vel impius; ut eas artes probare velim, quæ in abuſum diaboli præſtigiis execrabilem abierunt: nec de inepta, vana, falſaq; literarum, qua ſophiſtæ gloriantur, ſed de veterum Cabala ſancta, pura, divinaq; naturalium, divinarumque rerum inveſtigatrice loquor, per quam olim Rabini quidam judæorum, & Chriſtum Dei filium & Deum unum in tribus perſonis agnoverunt; & eam Magiam intelligo, qua illi, qui ex ſtella Chriſtum Judæo-

rum Regem in Oriente agnoſcentes; claruerunt: Ego enim me Chriſtianum eſſe profiteor, itaque ſciens, volensque nullius errores defendere & ſtabilire cupio: Verbum nullum, quod ſacroſanctæ Propheticæ & Apoſtolicæ Scripturę, vel Eccleſiæ Chriſtianæ adverſum ſit, affirmo; ſed quicquid verbo Dei, & cœleſti doctrinæ Chriſti repugnat, damno, rejicio, deteſtor, abominor, averſor, & alacriter in hoc perſiſtens concludo:

Non mihi frater erit, cui non Eccleſia Mater,
Non pater eſt dominus, non placet una fides,
Abjice dogma malum, ſit ſpiritus unus, & una
Mensque fidesq́, bonus ſic mihi Frater eris.

Sed profectò quoties ego Famam & Confesſionem fratrum Roſeæ Crucis lego, relego, eaque, qua decet pietate & candore, æſtimo, video expresſè, primò:

Quòd fratres Roſeæ Crucis orthodoxæ religioni ex asſe ſint addicti.

2. Quòd utantur ijsdem Sacramentis, quæ Chriſtus ipſe inſtituit, nempe baptiſmô & cœna Dominica, cum omnibus

nibus phraſibus ac ceremonijs primitivæ eccleſiæ renovatæ.

3 Quòd Cæſarem agnoſcant & venerentur ſummum ſuum, & Chriſtianorum caput in politia. Qui autem agnoſcunt & venerantur Cæſarem, certè illi quoque agnoſcunt & venerantur Electores, Principes & Status Imperij; quia hæc ſunt ſubordinatè dependentia. Subordinatè autem dependentia ſunt reſpectus unius ad alterum, cum relatione ſeu reſpectu ordinis poſteriorum ad prius. Quamborem manifeſtum eſt, quòd fratrum Roſeæ Crucis intentio non ſit, inſtigare ſubditos contra legitimum ſuum Magiſtratum, & ita movere ſeditiones in Imperio; imprimis verò, quia homines non ſemel tantùm, ſed aliquoties, ac quidem quàm diligentisſimè hortantur ad ſacrorum Bibliorum lectionem, quæ re vera non docent, neq; excitant, aut inflammant plebem adverſus Magiſtratum, ſed prohibent ſeditiones.

4 Quòd bonæ cauſæ clandeſtinas

vendum in hac vita impellant.

8 Quòd opera pietatis in pauperes ſeſe facturos, &, ægrotos (quos nimirum Deus voluerit) reſanaturos promittant.

9 Quòd artes liberales à falſo repurgare, & priſtino ſplendori reſtituere polliceantur.

10. Quòd à lectione & converſatione falſorum alchymiſtarum dehortentur, ac ſubinde promittant catalogum verorum librorum de Metamorphoſi metallorum, atque interim ejusdem philoſophiæ inquiſitoribus conſulant, ut non accedant ad praxin, niſi priùs habuerint NATURÆ COGNITIONEM. Quod eſt cavere proximum à damno, ac proinde exemplum charitatis.

11 Quòd Myſteriorum atque Theſaurorum ſuorum communicationem non ſibi, ſed ſolius Dei providentiæ adſcribant. Quod eſt dare ſoli Deo gloriam.

In ſumma, omnia illorum verba video plena ſapientiæ, pietatis, atque virtutis,

tutis. Cur ergò malè de illis judicem, aut ſentiam, cauſam habeo nullam. Patet ergò nunc vltrò, quòd quivis homo Chriſtianus illæſa ſua conſcientia, & gloria Dei intacta in horum fratrum Roſeæ Crucis collegium intrare ſecurè posſit.

Et ſanè ad tuendam venerandisſimorum horum fratrum obſervantiam, animus meus purus eſt, erit
& manebit.
Vale.

Salomon in Proverbiis
cap. 16. verſ. 16.

Posſide Sapientiam, quia aurô melior eſt, & acquire prudentiam, quia precioſior eſt argentô.

FINIS.